



J. N. FUNCIK. C.

1745. R.

£ 6s 12.

# SYMBOLÆ LITERARIÆ

AD  
INCREMENTUM  
SCIENTIARUM OMNE GENUS

À  
VARIIS AMICE COLLATÆ  
TOMI PRIMI  
PARS III.



---

B R E M A  
Sumptibus GERH. WILH. RUMPII,  
Anno MDCCXLV.





# SYLLABUS EORUM

QUÆ

TOMI I. PARS III.

CONTINET.

- I. JO. GEORG. MICHAELIS SS.  
Theolog. Profess. & Gymnasii Ha-  
lensis Reformati Ephori, Exercita-  
tio Historica, de Scholæ Alexan-  
drinæ sic dictæ Catecheticae origi-  
ne progressu, ac præcipuis Docto-  
ribus, pag. 195--240.
- II. PAULI ERNESTI JABLONS-  
KI, SS. Theol. Doct. & in almâ  
Viadrinâ Professoris, nec non So-  
cietatis Regiæ Berolinensis mem-  
bri, COGITATIONES de LACE-  
DÆMONIORUM CUM JUDÆIS  
COGNATIONE ad locum i Mac-  
cab. XII, 7. 21. p. 241--269.

III.



III. MICHAELIS ROSSALLI

L. A. M. Philos. Doct. Ling.  
Græcæ Art. Phil. & sigillatim  
Log. in Academiâ Groninganâ,  
dum viveret, Professoris, & Bi-  
bliothecrii, Refutatio nonnullorum  
argumentorum Theodori Bezæ, qui-  
bus defendit malitiosam desertio-  
nem esse caussam dirempti conjugii,  
p. 270-298.

IV. CONRADI IKENII Disquisi-

tio Historico - Philologica, opposita  
Pl. Reverendi G. F. Gudii Differ-  
tationi Historico - Criticæ de Sad-  
ducæorum in gente judaicâ aucto-  
ritate, p. 299-357.

V. ογδοας Epistolarum Celeb. JA-

COBI ALTINGII haætenus in-  
editorum ad Virum summe Venie-  
randum HERMANNUM COC-  
CEJUM, p. 357-389.

I. JO.



I.

JO. GEORGII MICHAELIS  
EXERCITATIO HISTORICA \*  
DE  
SCHOLÆ  
ALEXANDRINÆ  
SIC DICTÆ CATECHETICÆ  
ORIGINE PROGRESSU AC PRÆ-  
CIPUIS DOCTORIBUS.

CONSPECTUS.

De sapientia in Aegypto cultu, speciatim museo Ale-  
xandrino differitur I. Adpellationes proferuntur,  
quibus schola catechetica olim insignita. II. Or-  
tum illius multi a Marco, nonnulli a Parteno ar-  
cessunt, cui forte condendæ primam occasionem de-  
T. I. P. III.

O

dit

\* Edidit jam Vir longè celeberrimus pluribusque invi-  
dendæ Doctrinæ documentis inclitus hac de re Pro-  
gramma, Halæ Magdeb. A 1739 at cùm in istiusmo-  
di scriptis brevitati studendum, nunc dēmum argumen-  
tum, hoc prōpius illustrandū novisque observationi-  
bus ampliandum sibi sumisit, ut adeò hæc Dissertatio  
planè nova videri queat. C. J.

dit *Marcus*, sed *Partenus* decus illi aliquod primus conciliavit. *III.* Illam a museo Alexandrino fuisse distinctam *IV.* Supremum regimen ac tutelam scholæ hujus spectavisse ad episcopum Alexandrinum *V.* Alias Christianorum scholas celebritate longe superasse, quin alias ad illius modum institutas fuisse. *VI.* Insignem utilitatem aduluisse non Alexandrina solum, verum etiam universæ ecclesiæ. *VII.* Non tantum rudiores in illa primis christianæ religionis rudimentis institutos fuisse, verum etiam qui ad usum ecclesiæ parandi litterarum elegantiorum ac philosophicæ, cum primis rerum divinarum notitia esse imbutos, artem salutarem in ista locum aliquem babuisse, non constare. *VIII.* De ordine ac successione doctorum queritur, num relatione *Philippi Sidete*, an vero *Eusebii* ac aliorum standum *IX.* Doctores illius ordine enarrantur *X.*

ſ. 1.

**A**egypto hæc obtigit felicitas, ut ab antiquissimis retro temporibus sapientiæ sedes fuerit habita, pluresque exterrum philosophorum, locupletandæ doctrinæ ergo, eo commigrarint. Causa hujus rei non una allegari potest. Reges sacerdotum, qui sapientiæ omnis præsides habebantur, præceptis ac institutis innutriti, sapientiæ studium, quanta potuerunt, contentione, promotum cupiverunt. Sacerdotes, qui summa pollebant auctoritate, illam tuebantur, eandemque

conti-

continua quasi successione ad alios, potissimum filios suos, transmittebant. Et si quidem, quod multis placet, regionum clima, cœli serenitas aërisque temperies ad ingeniorum formationem confert plurimum (1), Ægyptus certe ita temperata fuit, ut salubritate, indeque pendente fertilitate alii terræ non facile cesserit (2). Accedit denique, quod Ægypti VOPISCO teste, fuerint rerum novarum cupiditatem (3), sagacitatem autem, ubi in ingenium, ad artes ac scientias adripiendas aptum cadit, ad sapientiæ cultum provehendum multum facere nemo est qui negat. Ex omnibus autem disciplinis astronomiam, geometriam ac arithmeticam (4), ad quas tum regionis commoditate, tum necessitate inducebantur, coluerunt quam maxime præcepta sua obscuris hieroglyphicorum symbolorum ænigmatibus involventes. Quæ Ægyptiorum sapientia ubi cum temporis lapsu haut parum detrimenti capiebat, & ad astrologiæ judiciariæ vanitatem convertebatur (5), nova quædam lux

O 2

(1) VEGET. de re milit. L. I. c. II. p. 14. edit. Plantin. (2) Testimoniis antiquorum hoc comprobatum dederunt CASP. BARTH. ad Claudian. p. 135. 136.

CORN. ADAMI exerc. exeget. I. §. 9. p. 18. seqq.

(3) In Saturn. c. VII. p. 718. 719. (4) AUGUSTINUS C. D. LXVIII. c. XXXIX. (5) Omne

Ægyptiorum philosophiam, si excepteris artes, quæ ad commoditatem atque utilitatem humanam spectant, imposturam magis, quam sapientiam fuisse pronuntiat CL. BRUCKERUS de convenient. numer. Pythag.

cum

per reges Græcos, qui a Ptolemeo Lagi progeniem duxerunt, est illata. Qui, cum a græcanicis litteris non alieni essent animo, hoc egerunt, ut viros doctos aliunde arcesserent, ipsos lautis alerent stipendiis, bibliothecas publicas adornarent, scholas atque sapientiae domicilia constituerent. Præ aliis urbis instituto huic adcommoda fuit visa Alexandria, non longe ante auspiciis Alexandri Macedonis condita, quæ urbs ut civium multitudine abundabat, ita *ingeniosissimi* fere atque *acutissimi*, quod HIRTIUS de ipsis testatur (6), habebantur. Hic loci celebre aliquod virorum doctorum collegium sumtibus, uti creditur, Ptolemei Philadelphi fuit erectum, vulgo museum adpellatum, in quo & docentes & discentes, artibus liberalibus vacantes ex æario publico sustentabantur: unde τραπέζα, item σιτησίς Αιγυπτία PHILOSTRATO dicitur (7). Nec

cum ideis Platonis §. 3. p. 189. SCHELHORN. amoen, litter. T. VII. (6) Bell. Alex lib. I. c. I. (7) De museo Alexandrino differunt STRABO geogr. L. XVII. AMMIANUS MARCELLINUS L. XXII. c. XVII. SALMAS. ad SPART. ADRIAN. c. XX. p. 183. edit. Lugdun. PLATISC. ad Sueton. Tiberium c. XLII. p. 132. 133. T. II. CORN. ADAMI exercit. exeget. I. §. 6. p. 103 - 106. H. CONRINGIUS antiqu. acad. diss. I. p. 11. & in supplem. p. 236. 237. Speciatim de museo Alexandrino egit JO. KEILHACKER diss. sub præs. AD RECHENBERGII habita Lips. 1698. alias nominat cel. FABRICIUS bibliogr. antiqu. c. XXL §. 3. p. 619. 620. & in biblioth. græc. Vol II. p. 487.

Nec minus ab illo tempore , quo Ægyptus provincia imperii Romani est facta, imperatores id benignitate sua sunt prosecuti , qui non solum idem illud conservarunt, verum etiam insigniter locupletarunt, amplificarunt, ex quibus nominare possumus *Augustum*, potissimum *Tiberium Claudium*, qui prouti SVENTONIUS commemorat (8), veteri *Alexandriæ museo* aliud ex nomine suo , *Claudium dictitatum*, addidit, quod ad imperium usque *Aureliani* dignitatem atque splendorem suum extuitum. In museo hoc cum primis *grammatices* studium, quod olim criticen omnem, historiam atque philologiam ambitu suo complectebatur, viguit; hinc, qui eidem praeerant, *Φιλολογος ἀνδρες* appellantur STRABONI (9). Illud doctrina ac scriptis suis illustrarunt CALLIMACHUS, ARISTARCHUS, DIDYMUS, *Chalcenterus* dictatus, APOLLONIUS, *dyscolus*, si-  
ve difficilis cognomento, APION, multique alii. Quantam vero cunque lucem musei hujus praesides litteris, quæ sua sese elegantia commendant inferre annisi sunt, ad veram tamen sapientiam, quæ salutis veraque beatitatis viam pandit, nil quidquam conferre potuerunt, ut hinc Ægyptus ignorantiae crassaque caliginis tenebris obsita latuerit, usque dum propitio Numini visum fuit, opimam hanc terram luce salutaris doctrinæ collustrare, Singulare certe divinæ providentiae munere est factum.

O 3

ut

(8) Tib. Claud. c. XLII. (9) I. c.

ut doctrina evangelii mature admodum Ægyptum ingressa, illamque inolitæ superstitionis arcem convellere penitusque subvertere sit adgressa. Et uti musei aliarumque scholarum Alexandrinarum beneficio lux doctrinæ, literarum ac profanæ sapientiæ latius est sparsa, ita schola Christianorum Alexandrina, sic dicta *catechetica* (10), rei christianaæ hoc emolumenntum præsttit, ut doctrina cælitus manifestata, per Christum confirmata, perque fidos ipsius internuntios quoquoversus fusæ ac dispersæ, non per Ægyptum tantum, sed etiam per potiorem orbis Christiani partem disseminaretur. Quæ schola quoniam cum ipsis rei christianæ in Ægypto cunabulis crevit ac adolevit, prætereaque alias Christianorum scho-

(10) De schola Alexandrina quædam habent HOSPITIAN. de orig. templ. L. III. c. V. p. 418. 419. JO. HOORNBECKIUS orat de schol. theol. miscell. sacr. T. II. p. 563. § 65. LUD. THOMASSINUS de vet. & nov. eccles. discipl. T. II. L. I. c. XCII. § 1. 2. p. 278. 279. CONRINGIUS antiqu. academ. dissert. I. p. 24 - 26. GOTTFR. ARNOLDUS, vom ersten Christenthum, L. VI. c. IV. §. 14. seqq. p. 96. seq. Successores in schola Alexandrina secundum traditionem PHILIPPI SIDETÆ recenset ven. MOSHEMIUS diff. de turbata per recentiores Platonicos ecclesia §. 4. p. 93. dissert. ad bistor. eccles. speßant. De PHILIPPI SIDETÆ fragmento, in quo series professorum scholæ hujus ab aliis historicis multum diversa, exhibetur, quod DODWELLUS primus omnium vulgavit, suisque notis illustravit, infra plurimis differendi locus erit.

scholas, quas præsca ætas vidit, & antiquitate  
& celebritate longe vincit, a præsente insti-  
tuto alienum esse non duximus, de illius ori-  
gine, progressu, celebritate ac præcipuis doctoribus,  
ex antiquitatum monumentis quædam in me-  
dium proferre.

§. II.

Schola hæc variis iisdemque insignibus a  
scriptoribus ecclesiasticis ornatur nominibus  
ex quibus de illius conditione simul judicium  
ferre licet. Adpellatur EUSEBIO τῶν πιστῶν  
διατριβη, διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν λογιῶν (II) SOZO-  
MENO ἱερὸν διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν μαθημάτων (12),  
PHILIPPO SIDETÆ χριστιανῆς διατριβη (13),  
NICEPHORO Θείᾳ διατριβῃ, ἱερὸν διδασκαλεῖον,  
ἱερα διατριβη (14), ἐκκλησιασικὸν διδασκαλεῖον (15).  
HIERONYMO ecclesiastica schola (16). Illam qui  
moderabantur, dicebantur ἔχηγυται quæ vox,  
DODWELLO interprete, magisterii locum  
denotat, docendique munus publicum declarat  
(17), κατηχησεων magistri (18), vulgo catechistæ  
sunt nuncupati (19).

§. III.

Antiquitas scholæ hujus est tanta, ut nā-  
O 4 tales

- (II) H. E. L. V. c. X. p. 175. (12) H. E. L. III. c.  
XV. p. 523. (13) in fragmanto, quod H. DOD-  
WELLUS dissert. in Irenæum subjungit p. 488.  
(14) H. E. L. IV. c. XXXII. p. 331. (15) biblioth.  
p. 298, (16) de script. eccl. c. XXXVIII. p. 54.  
(17) c. l. p. 511. (18) HIERON. c. l. p. 54. (19)  
Cent. Magdeb. cent. III. c. VII. p. 150.

tales illius in prima Christianismi, in Ægypto fundati, tempora conjiciendi non sine ratione videantur. EUSEBIUS tempus non definite determinat, sed generatim tantum declarat: *εξ αρχαις, inquit, οἱ διδασκαλίαι των ἑγυπτίων πάσῃ αὐτοῖς συγεντοῦσεν, cum ex antiqua consuetudine (a longo tracta tempore) schola sacram litterarum apud ipsos (Alexandrinos) instituta esset* (20). Interpretem horum verborum agit HIERONYMUS ita tamen ut tempus conditæ scholæ hujus specialius designet, illiusque primum au&corem indicet. Ubi enim de Pantæno verba facit, hunc in modum differit: *Pantænus, Stoica sectæ philosophus, juxta quandam VETEREM in Alexandria CONSUETUDINEM, ubi a Marco evangelista semper ecclesiastici fuere doctores, tantæ prudentiæ & eruditioñis tam in scripturis divinis, quam in seculari litteratura fuit* (21). Ex quibus verbis evidens est, Hieronymum scholæ hujus ortum ad Marcum evangelistam referre, qui primus omnium Ægyptiis verbum gratiæ adnuntiarit, eosdemque a vano deastrorum cultu ad obsequium veri ac æterni Dei traduxerit (22). Hieronymi auto-

rita-  
 (20) H. E. L. V. c. X. p. 175. (21) p. 52 53. (22)  
 Marcum primum omnium doctrinam gratiæ inter Ægyptios prædicasse, in ipsaque urbe Alexandrina ecclias constituisse, testantur EUSEBIUS H. E. L. II. c. XVI. p. 53. chron. L. I. ex interpret. Hieronymi p. m. 44. HIERONYMUS c. I. p. 30. 31. DOROTHÆUS bibl. patr. magn. T. VII. p. 103. FRECULPHUS chronic. T. II. L. II. c. IV. p. 217. bibl. Patr. T. XVI.

ritatem de Marco, primo scholæ catecheticæ conditore sequuntur recentiores HOSPINIanus (23), NAT. ALEXANDER (24), CAVEUS (25), MORERI (26), quam tamen dubiam reddunt SPANHEMILIS (27) & BENED. PICTETIUS (28), ipsius ortum demum a Panteno arcessentes. Evidem verum est, si quis a Philippo Sidete discesserit, quotquot de doctoribus scholæ hujus aliquid memorie prodiderunt, ultra Pantænum non ascendere: sed tamen & hoc pertendo neminem omnium Pantænum primum scholæ hujus moderatorem nominare. Verba EUSEBII, ἐξ ἀρχαίς ἐθεοῖς διδασκαλεῖς τῶν ἱερῶν λογιῶν πατέρων συνεσωτος, ubi quis cum illis, quae NICEPHORUS (29) habet conferet, adparebit, non ad ætatem Eusebii, sed ad διδασκαλεῖον ac διατριβῆν referri, ut sensus hic sit verborum; Panteno ad moderamen scholæ hujus accedente, illam jamdum ἐξ ἀρχαίς ἐθεοῖς, consuetudine a longo tempore tracta, ibidem viguisse. Quare recte omnino affirms TOMASSINUS (30): Pantenus quidem, Eusebio teste, rexerat scholam, sed ea Panteno longe antiquior erat.

O 5

Hoc

- (23) De origin. templ. L. III. p. 352. (24) H. E. sœc. II. p. I. p. 85. (25) antiqu. patr. & eccles. P. I. p. 378. (26) grand diction. T. I. tit. Alexandrie p. 118. (27) H. E. sœc. II. p. 604. (28) orat. de tropacis Christi, quæ adhæret dissertat. de relig. christianæ præstant. ac divinit. p. 619. (29) H. E. L. IV. c. XXXII. (30) I. c. p. 278.

Hoc tamen adseverandum est, Pantæno auspice, novam aliquam vitam eidem donatam novo quodam splendore circumfusam esse. Cum enim esset vir omni litterarum, illarum etiam, quæ *Seculares* vulgo appellantur, laude florentissimus, illas primus in gymnasio hoc docuisse videtur, cum ipsius antecessores primis christianæ religionis rudimentis, teneræ ætati utriusque sexus inculcandis, solum occuparentur. A quo primo instituto illi, qui præerant, *κατηχυσεων* magistri sunt nuncupati & inde mos hic ad illa tempora, quibus altiores jam disciplinæ exercitatoribus, inque civitatis christianæ usum aptandis, tradebantur, traductus, ut pueri pariter ac puellæ, primis atque simplicissimis doctrinæ christianæ veritatibus initiandæ, illius foribus non arcerentur. Qui igitur adfirmant, Marcum primâ scholæ hujus fundamenta locasse, non adseverant aliquid, quod ab instituto priscæ ecclesiæ alienum discedit. Posito enim hoc Marcum coetum sacrum Alexandrinum primum collegisse, proximum erat, ut seminarium aliud constitueretur, unde ecclesia conservari augerique posset. Alii de christianæ religionis veritate convincendi, in illius rudimentis instituendi, ac amor in Deum & Christum ingenerandus; alii solidiore mysteriorum divinorum cognitione imbuendi, adque omnem pietatem, vitæ sanctimoniam ac in fide constantiam cohortandi, quo, si quidem ecclesiis præ-

præficerentur, munere suo ex præcepto Christi ac apostolorum rite fungi possent. Vtrunque absque scholarum institutione non æque commode fieri poterat. In primordiis rei christianæ, maxime ubi *χαροματα* extraordinaria sensim deficere cæperunt, primi illius doctores & catechumenis prima religionis rudimenta impertiverunt, & futuros ecclesiæ doctores, ad munus in domo Dei obeundum, præpararunt. Ex longa consuetudine Pauli Timotheus & Titus in mysteriorum divinorum cognitione, & vitæ spiritualis exercitio tantum profecerunt, ut ille Ephesinæ, hic Cretensi ecclesiæ ac aliis multo cum fructu præesse potuerint. Ipsum hoc beneficium aliis exhibuisse, dubium est nullum. Paulus Timotheo suo injungit, ut, *que audivisset ex se fidis committeret hominibus, illis maxime qui apti essent quo & alios docerent*, 2 Tim. II, 2. Succedente tempore ecclesiarum antistites homines, Deo devotos, domi suæ aluerunt, hoc consilio, quo illos præceptis ac exemplo ad ministerium evangelicum formarent.

§. IV.

Videntur autem primordia scholæ hujus sat tenuia ac exilia fuisse, quæ privato magistro studio aperta, quam publica magistratum auctoritate firmata fuit: quæ ratio est, quare illius ante Pantænum, qui sæculo demum II. eodemque inclinato, floruit, mentio injiciatur nulla. Evidem ex recentioribus nonnulli

adie.

adseverant scholam gentilem philosophicam, museum Alexandrinum in scholam Christianam conversam fuisse. Conceptis id verbis adfirmant centuriatores Magdeburgenses: forte cum Marcus ecclesiam ibi collegit, philosophis & Judeis ad christianismum conversis, SCHOLA illa ETHNICA, seu PHILOSOPHICA in CHRISTIANAM commutata est (31). Ab illis non multum abit HOSPINIANUS Alexandrina, inquit, ex ethnica seu philosophica a D. Marco, cum ibi ecclesiam colligeret, philosophis & Judaeis ad veram religionem conversis, forte commutata. Et sane Dei prouidentia & bonitate singulari factum opinor, ut in ipsis religionis christiana primordiis hæc schola veram fidem amplectetur, quo inde in universum pene orbem Christi agnitione citius emanaret: jam inde enim a Ptolemæis regibus semper inter celeberrimas academias fuit numerata, ad eamque ex omnibus terræ partibus certatim discendi gratia confluixerunt (32). In qua ipsa etiam opinione est JO. KEILHACKER, qui inter doctores musei Alexandrii refert Clementem Alexandrinum, Originem, Athanasium, Didimum (33). At enim si omnia pensiculatius configuntur, schola catechetica priva Christianis ac a museo aliisque scholis Alexandrinis distincta omnino fuit. Nam [æ] doctores scholæ catecheticae semper distincti

(31) Centur. I. L. I. c. VII. p. 397. (32) de orig. templ. I. III. c. V. p. 418. (33) dissert. de museo Ale- xandr. §. 9.

stincti ab illis, qui museo præterant, recensentur. [β] Museum constituebat partem aliquam palatii regii ac regia munificentia, qui in illo litteris operabantur, vitam tolerabant. Quis autem existimaverit, Christianos, cum ad clavum imperii adhuc sederent magistratus fictitorum Deorum cultui addicti, in tantarum opum possessionem venire potuisse. Locus, in quo Origenes docebat, appellatur *duxos domus*, procul dubio aliqua *privata* (34); schola quippe hæc publica auctoritate munita non erat, nec, qui illius præfectos agebant, ulla stipendiis ex publico ærario fruebantur. [γ] De Adriano imp. memoriae prodidit SPARTIANUS (35), ipsum, cum Alexandria veraretur, museum ingressum, multas questiones professoribus proposuisse. Scholæ autem catechetica unus tantum præfuit, nisi quod cum lapsu temporis, aucto auditorum numero, alias κατηχυσεων magistro fuerit adjunctus, nec vere est simile, Adrianum scholam christianam adire voluisse. Denique, quod vel maxime observandum, Adriano clavum imperii tenente, schola hæc Christianorum in cunis suis vagivit.

§. V.

Supremum regimen scholæ hujus penes episcopum Alexandrinum fuit, ad cuius munus cura illius dirigendæ tuendæque spectabat,  
Magde-

(34) EUSEB. H. E. L. VI. c. III. p. 204. (35) c. XX,

Magdeburgenses hoc probant argumento, quoniam Demetrius Pantænum scholæ præfecisse dicitur (36). Quod unde habeant, fateor me ignorare, dubium est, illa jamdum tempestate, qua Pantænus scholam catecheticam rexit, Demetrium sedem Alexandrinam occupasse. Si vero pro Pantæno rescribatur *Origenes*, habemus scriptores ecclesiasticos consentientes. HIERONYMUS disertis verbis scribit: *a Demetrio ejus urbis episcopo in locum Clementis presbyteri confirmatum esse* (37). Paria leguntur apud EUSEBIUM (38) & NICEPHORUM (39), perhibentes, scholam catecheticam fidei ipsius a Demetrio creditam fuisse, της διατερψης τε κατηχειν ἐπιτετραμμένης ἔχειν. Pantænus autem muneris sui auspicia non sedente Demetrio, sed Juliano hujus antecessore fecisse, diserto testimonio EUSEBII L. V. c. IX. liquet. Hoc verum est, ipsum suadente Demetrio, post obitum Juliani, qui X. a. in episcopatu exegit ad Indos demigrasse, HIERON. de scriptor. eccles. c. XXXVI. p. 53. Quod diximus aliis firmari potest argumentis. Cum ab Origene, quo tempore munere suo in schola illa fungebatur, admissum esset aliquid, cuius ergo in aliorum voculas atque dictoria incidere poterat, γνωστος οὐσερος inquit, EUSEBIUS (40), ὁ Δημήτριος, ἀτε της αὐτοῦ

(36) Cent. II. c. VII. p. 102. (37) de script. eccles. c. LIV. p. 62. (38) L. VI. c. III. p. 205. (39) H. E. L. V. c. V. p. 349. (40) L. VI. c. VII. p. 209.

αὐτοῖς παροικας ΠΡΟΕΣΤΩΣ, ubi rem tandem com-  
perisset Demetrius, utpote qui tum temporis PRÆ-  
ERAT PAROCHIAE. Rem igitur hanc ad  
se pertinere ratus, θάσσει αὐτικα παρακλευεται.  
και νν μαθησ έρχεσθαι αὐτον τη της κατηχησεως έρ-  
γα παροικα, bono ipsum animo esse jubet, utque in  
posteriorum munus institutionis urgeret, eundem borta-  
tur. Cumque idem ille per aliquod temporis  
spatium abesset, & apud Alexandrum Hieroso-  
lymis & Theostistum Cælareæ, occupationibus  
ecclesiæ utilibus intentus moram traheret,  
litteris Demetrii, ut ad munus suum rediret,  
est revocatus: τε Δημητριος δια γραμματων αὐτον  
ἀνακλευσαντος, δι ἀνδρων τε διακονων της ἐκκλη-  
σιας ἐπισκευασαντος ἐπανελθειν εἰς την Αλεξανδρειαν  
(41). Tanta tamen erga ipsum usus est pru-  
dentia ac mansuetudine, ne quid res Alexan-  
drina detrimenti caperet, neve dignitati ipsius  
quidquam derogaret. Redux Origenes ex  
ecclesia Romana, ad quam visendam diverte-  
rat, Demetrius preeibus ipsum solicitavit, ne  
fratrum utilitati deesset: Δημητριος των τη δε  
ἐπισκοπης ἔτι τοτε παροικωντος αὐτον και μονον ψή-  
σσητος σόκνων την εἰς της αθελφης αφελειαν  
ποιεισθ (42). Ut igitur directio ac tutela  
scholæ hujus erat penes episcopum, ita in po-  
testate catecheseon magistri positum erat con-  
stituere atque ordinare, quidquid e re scholæ  
esse judicabat. Numero illorum, qui ad scho-  
lam

(41) EUSEB. L. VI. c. XIX. p. 227. NICEPH. L. V.  
c. XIV. (42) EUSEB. L. VI. c. XIV. p. 217.

iam hanc confluebant, insigniter aucto, ut Origenes se tanto oneri ferendo non esse experimento cognosceret, Heraclam unum ex auditoribus suis, elegit, in eundemque partem munieris sui devolvit, τῷ μὲν τὴν πρωτῆν τῷ δεῖτι σοιχείμενον εἰσαγωγὴν ἐπιτρέψας· αὐτῷ δε τὴν ἐξ οὗ Φυλαξας αὐξασσιν, ipsi quidem institutionem eorum, qui primis adhuc erudiendi elementis committens, sibi informationem illorum servans, qui doctrinam suam usu confirmaverant (43). Dignitas certe præfectorum scholæ hujus fuit splendida satis. In presbyterorum locum cooptati sunt Clemens, Origenes, Heraclas. Ad munieris episcopalis fastigium electi sunt Heraclas & Dionysius. Magnam partem rerum ecclesiasticarum administrabant, propagando Christianismo sedulam navabant operam. Pantheon ad Indos, ut illos ad Christianam converteret religionem iter instituisse, pluresque ex paganis, qui se Origeni in disciplinam tradebant, ipsius demonstrationibus tam valide motos fuisse, ut, detestanda superstitione missa, Christo nomen dederint, rerum in civitate sacra gestarum scriptores ad unum testantur omnes. Ab episcopis super gravioris momenti negotiis consulebantur. Quotiescumque errores ac hæreses suppulabunt, hoc ipsis negotiis est datum, ut in erroneorum dogmatum fontes eorundemque rationes dedita opera inquirerent, ac ex imis

(43) Id, libr. VI, c. XV. p. 217.

imis fundamentis evellerent, nec minus illorum in conciliorum confessibus auctoritas conspicua satis erat. Quod luculentis testimoniis, cum primis ex Origenis historia confirmare possemus, si in praesentia prolixioribus esse liceret.

§. VI.

Celebritas scholæ hujus per illam tempestatem fuit tanta, ut non alia facile in orbe Christiano existiterit, quæ illi æquiparari, vel palmam ipsi dubiam reddere potuerit. BARONIUS quidem censet, scholam Atheniensem principem tenuisse locum, hunc in modum differens: *in oriente celebriores scholas existisse Cesarea Palestinae, Alexandria & Constantinopolis, omnibus autem eminuisse ATHENAS, quo se contulerint, postquam in aliis scholis ingenia scientiis imbuerint, quo in Atheniensi penitus consumarentur* (44). Quæ verba si relate ad tempus, quo schola Alexandrina in flore fuit, intelligenda; vereor admodum ne ratio purpuratum deficiat. Schola Atheniensis fuit potius grammatica & philosophica, quam adire solebant ante, quam in sacrarum litterarum studium altius se immitterent. Sic Clemens Alexandrinus de se testatur, ubi Græciam aliasque regiones doctrinæ ac sapientiæ percipiendæ ergo peragrasset, tandem in Ægypto conquievisse (45), quod de Pantæno, scholæ Alexandri-

T. I. P. III.

P

næ

(44) Annal. T. III. p. 727. 728. (45) Stroin. L. I. p.  
274.

næ præfecto, intelligendum esse, sententia est EUSEBII (46) & NICEPHORI (47). Id potius est dicendum, Alexandrinam scholam non solum antiquissimam ac celeberrimam scholarum christianarum fuisse, verum etiam alias ad illius modum esse erectas. Patescit hoc ex illis CASSIODORI, quibus sententiam suam, quam aliquando cum Agapeto, præsule Romano, in deliberationem miserat, aperit: *natus sum, inquit, cum beatissimo Agapeto, urbis Romæ episcopo, ut sicut apud ALEXANDRIAM multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam Nisibi civitate Syrorum Ebræis sedulo fertur exponi; collatis expensis in urbe Romana professos doctores schole potius exciperent christianæ, inde anima susciperet eternam salutem & casto ac purissimo eloquio fidelium lingua comere iur.* (48). Ad ænun<sup>v</sup> suam pervenit, ac summam celebritatem est consecuta, moderantibus illam viris omni eruditio[n]is genere abunde instructis ac per ecclesias Christianas celebratissimis PANTÆNO, CLEMENTE ALEXANDRINO, potissimum ORIGENE, qui ob eximiam plane doctri-

(46) H. E. L. V. c. XI. p. 176. (47) L. IV. c. XXXIII.  
p. 331. 332. (48) Præf. libr. de institut. divin. scriptur. p. 223. edit. Paris. quæ ipsa verba exhibet BARTHONIUS annal. T. VII. p. 289. De Nisibena schola testatur JUNILIUS AFRICANUS præf. de partib. divin. legis; in illa divina lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis, grammatica & rhetorica, ordine ac regulariter traditur, biblioth. patr. magn. T. I. p. 2.

doctrinam, ferventissimum in religionem christianam ardorem, stupendam diligentiam vitæque moderationem ac continentiam maximam de se concitavit famam. Hujus sub auspiciis numerus illorum, qui ab ipso erudi-ri cupiebant, adeo crevit, ut licet a summo mane ad vesperam usque docendo occupatus esset, illis tamen solus minime sufficeret, ut hinc operas inter se ac Heraclam partiri ne-cessere haberet: ἐτερων ἐφ' ἐτερων ἐξ ἡνὶ καὶ μεχρις ἐσπερεψες ἐπι το παρ αὐτῷ διδασκαλειον Φειτωντων, διανειμας τα ΠΑΝΘΗ, τον Ηρακλαν των γνωριμων προκρινας ἐν τε τοις θεοις σπεδαιον και αἴκινος ὄντος λογιστατον αὐδρι και Φιλοσοφιας ψη αἵμοιρον κοινωνον καθιση της κατηχησεως (49). Nec illos so-lum fama Origenis adliciebat, qui ecclesiæ ad-scripti erant, quique in semel agnita veritate confirmari satagebant, verum etiam qui superstitionis adhuc laqueis impliciti teneban-tur, vel circa fundamenta religionis gravissi-me errabant: μυριοι τε των αἱρετικων, Φιλοσοφων τε των μαλισα ἐπιΦανων ψη ὀλιγοι, δια σπεδης αὐτῷ προσειχον, μονανχι προς τοις θεοις και τα της ἐξω-θεν Φιλοσοφιας προς αὐτα παιδευομενοι (50). Quo-rum plures ubi a tenebris ad lucem, ab erro-ribus ad veritatem revocavit, hac quidem re-insignem ecclesiæ utilitatem adtulit, sibi au-tem inumeros arcessivit inimicos, qui per-

P 2 petuum

(49) EUSEB. H. E. L. VI. c. XV, p. 217. (50) id.  
L. VI. c. XVIII, p. 218.

petuum ipsi bellum indicebant ejusdemque  
vitæ insidias struebant: τοστος ἐν των ἀπίστω  
προς αὐτον πολεμος, ὡς και συζηφας ποιησαμενος  
σφραγιστας αὐτῳ περι τον ὄικον ἐνθα κατεμενεν εἰπεν  
σαι, δια το ΠΑΝΘΟC των τα της ιερας πισεως κατη-  
χεμενων παρ αὐτῳ (51). Nec solum ad scholam  
hanc concursus siebat Aegyptiorum, verum  
etiam ex remotis regionibus, qui in sacrarum  
litterarum intelligentia proficere gestiebant.  
GREGORIUS NYSSENUS auctor est, quo  
tempore Gregorius Neocæsariensis, vulgo Thau-  
maturgus dictus, Origeni Alexandriæ operam  
dabat, plures ad ipsum undique confluxisse,  
ζόντας αὐτῳ της δισεγγωγης ἐν Ἀιγυπτῳ κατα την μεγα-  
λην τε Ἀλεξανδρειαν πολιν, εἰς ον και ΠΑΝΤΑΧΟΘΕΝ  
ΣΥΝΕΡΡΕΙ νεοτης (52). Videtur autem, Ori-  
gene Cæsaream discedente, haut leve passa-  
fuisse detrimentum, qui enim ante ab ore Ori-  
genis Alexandriæ pendebant, ex illis quidam  
ipsum Cæsaream sunt secuti, qui que forte  
Alexandriam adivissent, illi Cæsaream contem-  
debant. Gregorium certe Thaumaturgum cum  
Origene Alexandria abivisse, adfirmare pos-  
sumus. Quantaque in celebritate Cæsareæ  
fuerit, ex his NICEPHORI constat, πολιος δε  
και ἐν Καισαρειᾳ της Παλαισινης διατερθοντε τω ορ-  
γενει προσηγον φοιτηται, ὃ των ἐκεισε μονον ΠΕ-  
ΡΙΟΙΚΩΝ, αἵμα και των πορρω των πατριδας Χον-  
τον

(51) Id. L. VI. c. III. p. 204. (52) Vit. Gregor. Thau-  
mat. opp. T. III. p. 540.

των ἀς ὡς οὐδεν λογιζομένοι, ἔχειν τὸ συνδιατριβεῖν πρῶτον ἐποιεύτο σπάθην (53). Quod tamen non ita intellectum velim, ac si Origenis abitus interitum scholæ Alexandrinæ adulterit. Heraclas Origenis successor ea erat doctrinæ fama, ut vel ipse Julius Africanus, commemorante ex ipsius chronicorum libris EUSEBIO, πο-  
γεῖαι σειλασθαι ἐπὶ τὴν Αλεξανδρεῖαν διὰ πόλην τῷ Ηρακλᾳ Φημιν, iter Alexandriam versus ob ingen-  
tem Heraclæ famam instituere nullus dubitarit (54).

## §. VII.

Ex illis, quæ in supp. in medium sunt adlata, unusquisque per se ipsum cognoscere potest, quantum emolumenti ex hac schola non ad ecclesiam solum Alexandrinam & Ægyptiam, verum etiam universam civitatem christianam redundarit. Ad ecclesiam Alexandrinam hæc rediit utilitas, ut, qui sacris Christianorum initiandi erant, prius in hac schola primis religionis rudimentis instruerentur. Origenis schola non capiebat solum κατηχουμένους, verum etiam νεοφωτιστας (55), nec ulli ætati, aut sexui suam negabat operam, μη ἀνδρεῖς μὲν καὶ γυναιξὶ δε ταῖς θεῖαι προσομοίειν, non viris tantum, sed & feminis divina præcepta interpretabatur (56). Ad universam Christi ecclesiam usus scholæ hujus

P 3. non

(53) H. E. L. V. c. XX. p. 359. (54) H. E. L. VI. c. XXXI. p. 230. NICEPHOR. H. E. L. V. c. XXI. p. 370. (55) EUSEB. L. VI. c. IV. p. 206. (56) id. L. VI. c. VIII. p. 209.

non unus se protendit. Beneficio illius promœria ecclesiæ sunt ampliata. Pantænus divino quodam ardore inflammatus, ad gentes, quæ orientem olem tuentur, ad Indos usque excurrit, eosdemque cœlestis sapientiæ lumine collustravit, ac, ut Christo, soli justitiae, obsequio fidei se submitterent, mirifica verbi divini potentia effecit. De illo ita fatur EUSEBIUS : τοσαύτην Φασιν αὐτον ἐκβιμωτατη διαθεσαι προσθυμιαν πέρι των θειον λογον ἐνδειξασθαι, οις καὶ κηρυκα τα κατα χριστον ἐναγγελια τοις ἐπ' αὐτολην ἔθνοιν αναδειχθηναι, μεχρι και της ινδου σειλαμενον γης (57). Origenis scholam ex paganis haut paucos, ipsosque adeo philosophos frequenter ac illius doctrina ita affectos fuisse, ut in Christianorum castra transferint, tantumque in religione constantiam exhibuerint, ut fidem sanguine suo obsignare non reformati, EUSEBIUS fusiū enarrat (58). Denique hæc schola ecclesiæ doctores eosque plane eximios dedit. Quos a Pantæno usque schola hæc doctores suspexit, illos olim discentes in si uero foverat ac veræ sapientiæ præceptis innutriverat. Nominare possumus Clementem Alexandrinum, Origenem, Heraclam, Dionysium, Athenodorum, alios. Ad laudem scholæ hujus satis esset, si quidem doctores sibi suos formasset ac ecclesiæ Alexandrinæ divinorum

(57) H. E. L. V. c. X. p. 175. HIERON. de script. eccl. c. XXXVI. p. 53. (58) c. I. L. VI. III. c. IV.

norum oraculorum interpretes suffecisset (sunt quippe ex episcopis Alexandrinis, qui subsellia scholæ hujus aliquando occuparunt); sed enim hoc maiori gloriæ cedit illi, quod *ex eadem*, utor verbis HOSPINIANI, tanquam *ex equo Trojano* prodierunt plurimi, eruditione, doctrina, pietate, præstantissimi viri, qui binc inde in orientis ecclesiis Christo domino præclararam egregiam operam navarunt (59). Ex illis, qui sacris studiis in hoc sapientiæ ac pietatis gymnasio invigilarunt; ac viri facti suis virtutibus ac doctrina usui atque decori civitati christianæ fuerunt, producere possumus *Alexandrum*, primum apud Cappodoces, inde Hierosolymitanos sacrorum antistitem, qui Pantænum & Clementem patres suos (60) agnoscit, *Gregorium Thaumaturgum*, ejusque Fratrem *Athenodorum*, post Ponti episcopum (61), *Pamphilum*, presbyterum Cæsareensem (62), alios.

## §. VIII.

Ortum scholæ hujus, antiquitatem, celebritatem ac utilitatem spectavimus, sequitur, ut quibus artibus ac scientiis, qui eandem frequentarunt, eruditæ fuerint, anquiramus: Non unius generis fuerunt, qui in illustri hac bonarum mentium officina sapientiæ attend-

P. 4 runt.

(59) De templ. p. 419. (60) EUSER. L. VI. c. XIV. p. 216. (61) NICEPH. H. E. L. V. c. XX. p. 369. FABRIC. bibl. græc. Vol. V. p. 247. (62) FABRIC. c. I. p. 277.

runt. Erant, qui doctrinæ christianæ primis rudimentis tantum imbuebantur, ecclesiæ gtegi inferendi §. 3. 7. EUSEBIUS multitudinem nominum utriusque sexus ad Origenem, ut in doctrina salutari instituerentur, confirmarentur, confluxisse adfirmat (63): *πληθος των τα της ιερας πιστεως κατηχεμενων περι αυτων*, quos in fide ita roboravit, ut diros cruciatus, quin crudelissimam mortem non refugerent. Erant, qui ferventiori quodam ardore inflammati, ad illum doctrinæ sacræ apicem nitebantur, quo publico doctorum in ecclesia munere defungentur. Et hi pro ratione profectum fuorum, quos fecerant, rursus diversi erant. Erant, qui illis artibus ac disciplinis præmuendi, quibus ad sublimiorem rerum divinarum cognitionem facilius hauriendam via sternitur, erant qui in ipsa disciplinae sanctioris penetralia, intimoremque sacrarum litterarum intelligentiam intromittendi. Utrorumque commodis in schola hac consulebatur. Quotquot illam inde a Pantæno rexerunt, illi omnes in humanitatis studiis ac philosophiæ cognitione non mediocriter versati fuerunt. De Pantæno testatur Origenes apud EUSEBIUM (64), quem sequitur NICEPHORUS (65), *ειν δλιγχν εν εκειναις εσχηκεναι παρασκευαι non exiguo illarum disciplinarum, a quibus ipse non abhor-*

(63) L. VI. c. III. (64) L. VI. c. XIX. p. 221. (65)  
H. E. L. V. c. IV. p. 361.

abhorrebat adparatu instructum fuisse. De Heraclæ perhibet: ὅντινα ἐνεργον πάσα τῷ διδασκαλῷ τῶν φιλοσοφῶν μαθημάτων, ἵδη πέντε ἑτεσίν ἀντῷ προσκαρτερησαντα, ipsum offendī apud magistrum philosophicarum disciplinarum, jam quinque annos eidem operam dantem. Quanta doctrina, externa etiam floruerit Clemens Alexandrinus, scripta ipsius loquuntur, ut dubium sit, num quis doctorum christianorum, quos illa tempestas & tulit & suscepit, paria cum ipso facere possit. Origenem per omnes disciplinas ingenium & industriam suam circumtulisse, PHOTIUS est auctor παντος μαθημάτου ιδεας αὐτον φασι και μετελθεν και διδασκεν (66). Ipsas illas disciplinas ipso opere auditoribus suis impertivisse, testimonio EUSEBII dispalescit, hac tamen ratione habita ut per gradus ipsos prouti illorum ingenium ferebat, ad eruditionis arcem promoveret. Qui sermone adhuc rudes erant, & ab ingenuis artibus deserti, illos ad humanitatem forrabat, πολὺς των ἰδιωτικωτέρων ἐνηγεν ἐπ τα ἔγκυλια γραμματα. Commendabat hæc studia ab eximia utilitate: εἰ μικραν ἀντοις ἴσχεθαι εἴχεινον ἐπιτηδειοτητας ἐις την των θειων γραφων θεωριαν και παρεισκενν, non minorem ex ipsis sibi paraturos aptitudinem, adque sacrarum litterarum intelligentiam adparatum (67). Qui autem ab illis artibus animum jamdum instructum habebant, ἐισηγε ἐπ τα φιλοσοφα μαθημάτας γεωμετριαν και

P 5

αἰσθ-

(66) Bibl. cod. CXVIII. p. 297. (67) L. VI. c. XVIII.

ἀριθμητικὴν καὶ τὰ αἱλάω πρωτεύειματα παραδίδει,  
introducebat in disciplinas philosophicas, geometriam,  
arithmeticam, aliasque scientias prævias tradebat.  
Num præterea medicinæ studium in hoc ipso  
lyceo, quod BARONIUS (68), de Gregorio  
Thaumaturgo agens, disertus HOORNBE-  
CKIUS (69) adfirmat, exultum dubius hæreo.  
Quæ enim Gregorius Nyssenus de Gregorio Thauma-  
turgo commemorat: ἐστι δὲ τοῦ διαγωγῆς ἐν Αἰ-  
γυπτῳ περὶ τῶν μεγάλην τὸ Αλεξανδρεῖαν πόλιν, εἴς  
ην καὶ ἡ παντοχοθεν συνέρρει νεοτης τῶν περὶ Φιλοσο-  
φιῶν καὶ ΙΑΤΡΙΚΗΝ ἐστεγδακοτῶν κ. τ. λ. ipso vi-  
tam agente in Ægypto in magna Alexandri urbe, ad  
quam omnis undique juventus, philosophy & ME-  
DICINÆ studioſa conſuebat (70); generatim  
de urbe Alexandrina, non ſpeciatim ſchola  
catechetica, cuius habendas tum moderabatur  
Origenes, ſunt intelligenda. Plures autem  
præter hanc ſcholas in amplissima iſta urbe ex-  
ſtitiffe, nemo paullulum humanior ignorat.  
Speciatim ab Antonini imperatoris ævo ſcho-  
la medica, eademque publica, iατροſοφιστῶν ad-  
pellata, floruiſſe videtur (71). Enimvero non  
omnis labor, qui in hoc ſapientiæ ſacrario im-  
pendebatur, circa humanam verſabatur ſa-  
pientiam. Sapientia cœlestis, per viros di-  
vinos patefacta, explanabatur, divinarumque  
litte-

(68) Annal. eccles. T. II. p. 405. (69) miscell. ſacr. T. II. p. 565. (70) de vita Gregor. Thaumat. opp. T. III. p. 540, (71) CONRING. antiqu. academ. diff. I. p. 26.

litterarum latentes sensus recludebantur. Pan-  
tenus, teste EUSEBIO, (72): ζωη φωνη και  
δια γερματων της των θειων δογματων θησαυρες  
ιαπτυμητζομενος Ε viva voce Ε scriptis divino-  
rum dogmatum thesauros exposuit (73). Origenes  
sacrarum litterarum studium tam pertinaci ur-  
gebat diligentia, ut omne tempus discipulis  
suis addiceret, sibi parum otii relinqueret, της  
θειας διδασκαλιας ἐργον εἰς ἀπαντας ἀφυλάκτως της  
προσοντας υπτας και μεθ' ιμεραν ἐπετελει τοις  
θειοις σίκναις μαθημασι και τοις ως αὐτον φοιτωσι,  
την πασαν ἀνατίκεισ σχολην (74). Et quidem hac  
in schola tum magistrorum industria, tum  
propria diligentia doctrinam suam ad illum  
gradum promovere poterant ut vix carceri-  
bus illius emissi, ad munera in ecclesia ob-  
eunda evocarentur. De Gregorio Thaumaturgo  
& Athenodoro, qui per integrum quinque-  
nium Origenem primo quidem Alexandriae,  
inde vero Cæsareae coluerunt, refert NICE-  
PHORUS (75), tanta sub illius ductu doctri-  
nae incrementa fecisse, ut ipsis juvenibus ad-  
huc cura regendarum ecclesiarum Ponticarum  
tuto committi potuerit. Sed cum unus tan-  
tum scholæ huic præcesset, cogitet aliquis,  
qui fieri potuerit, ut tanto oneri, cum curas  
suas ad alias itemque alias scientias conver-  
tere debuerit, ferendo fuerit. Respondeo  
gene-

(72) L. V. c. X. p. 175. (73) I. V. c. X. p. 175. (74) L.  
VI. c. VIII. p. 209. (75) H. E. L. V. c. XX.

generatim quidem, tum temporis tantam scientiarum amplitudinem nondum fuisse, ut hinc unus pluribus sufficere potuerit. Specialius hoc est notandum, doctorum illorum diligentiam fuisse incredibilem, nullum otium, nullam requiem sibi induluisse, omne contra tempus illis destinasse, qui se ipsis in disciplinam tradebant. Origenes certe tam improbum exantlavit laborem, ut a mane ad vesperam haberet, qui, ut sapientiam discerent, magno numero ad ipsum confluebant, quibus tamen pro ratione profectuum ac captus diversas horas adsignavit (76). Id etiam fecerunt, ne laborum mole opprimerentur, ut socium sibi aliquem adscicerent, in quem partem aliquam occupationum suarum devolverent. Sic Origenes Heraclam, virum conspicuæ doctrinæ ac probatæ fidei, sibi adjunxit, cui illos ex auditoribus reliquit, quos primis adhucdum rudimentis indigere ipsum non latebat, sibi servatis iis, quos ad aliquem jamdum eruditionis gradum pervenisse probe sciebat. Conceptis hoc verbis adfirmat EUSEBIUS: ἐτερων ἐφ' ἐτεροις ἐξ ἔω καὶ μεχρις ἐσπέρας ἐπ το πάρ αὐτῷ διδασκαλειον Φοιτωντων, διανειμας τω πληθη, των Ηρακλαν των γνωσιμων προσκρινεις-καινενον καθιση της κατηχισεως τω μεν την πρωτην των αρτε σοιχειωμενων ισταγωγην ἐπιτρεψας αυτω δε την των εξει φυλαξας ὀκροσοιν (77).

## § IX,

(76) EUSEB; L. VI. c. XV. p. 217. (77) c. I.

## §. IX.

Quinam scholam hanc rexerint, quoque  
se fere invicem ordine exceperint, in diversum  
abeunt illi, quibus res præcæ ecclesiæ in lit-  
teras mittere curæ fuit. Scriptores ad unum  
fere omnes hoc ordine enumerant scholæ  
hujus antistites, *Pantanum, Clementem Alexan-*  
*dinum, Origenem, Heraclam, Dionysium, Atheno-*  
*dorum.* Juvat hic audire NICEPHORUM,  
catechistas Alexandrinos hac serie recensem-  
tem: Πάντανος πρωτος και μετ' ἐκείνον Κλημῆνης ἡ  
πρεσβυτερος ὁ σεωματευς τρίτος ἡν Ωριγένης Ηρα-  
κλας τετάρτος, και πεμπτος ὁ Διονυσίος, μετα δ' ἐκεί-  
νον, ἑκτος ἡν Αθηνοδωρος (78). Unus PHILIPPUS  
SIDETES diversam ingreditur viam, primum  
nominans Athenagoram, quem ex ipsius rela-  
tione sequentes hoc ordine exceperunt Pan-  
tanus, Origenes, Heraclas, Dionysius, Clemens, Pie-  
rius, Theognostus, Serapion, Petrus Martyr, Ma-  
carius politicus, Didymus, Rhodon. Discriben-  
ti eo versatur, quod Athenagoram faciat pri-  
mum scholæ doctorem, porro Clementem Alexan-  
dinum Origeni postponat, alias denique no-  
minet, quorum alias inter κατηχησεων magi-  
stros mentio nulla. HENRICUS DODWEL-  
LUS, vir doctus, inque antiquitatibus eccle-  
siasticis egregie versatus, hoc ipsum fragmen-  
tum ex cod. MS. Barocciano primus in lucem  
revocavit, nec ullus dubitat, filum Philippi  
hujus,

(78) L. V, e, XVIII. p. 367.

hujus, spreta aliorum auctoritate, EUSEBII maxime ac HIERONYMI, sequi, caussatus, Philippum, Rhodonem Sidæ doctorem nam et illius ex ipso accipere potuisse (79). Sed hao ipsa ratione res nondum ad liquidum est perducta, ut propterea antiquiorum scriptorum fidem in dubium vocare liceat. Primum, Philippus hic qualem illum nobis exhibet PHOTIUS (80), nec a doctrina, nec a iudicio satis instructus fuisse videtur, quem multa απειροναλως ἐπεξυσθαι imperite effudisse iudicat. Et si quidem standum est iudicio SOCRATIS; ὅτι τες χρονες της ισογειας συγχέει, ipsum rerum gestarum tempora confundere, nemo, facile a se impetrabit, ut narrationi ipsius de ordine successionis doctorum Alexandrinorum contra fidem antiquiorum scriptorum subscribat. Inde, si vel maxime constet, ea omnia, quæ in fragmento hoc habentur, Philippum ex Rhodone accepisse, quis fidem interponet, illa non passim interpolata esse; cum non integra verba Philippi, sed illorum tantum compendium aliquod exhibeat. Ipse DODWELLUS, qui tamen fidem traditionis hujus protegit, illud ab omni interpolatione immune declarare non audet, & num illud a Nicephoro, an alio quopiam factum sit, definire

(79) Dissert. in Iren. p. 490 - 493. (80) bibl. Cod. XXXV.

finire non sustinet. *Adhac* manifesto satis errore dicit Philippus; Athenagoram imperantibus Adriano & Antonino floruisse, ad eosdemque sermonem suum apologeticum direxisse, cum tamen contrarium testentur codices tum MS. tum libri impressi (81), ipsum illum inscripsisse M. Aurelio Antonino & L. Aurelio Commodo. Nec probari potest, quod DODWELLUS vult, Athenagorum apologiam ad imperatores in gratiam Christianorum Alexandrinorum adlegasse, cum ex illa satis superque adpareat, hoc egisse virum præstantissimum, ut religionem christianam a calumniis, quibus premebatur, vindicaret.

§. X.

Quando igitur fragmentum illud tot dubiis est expositum & manifesta corruptionis indicia præ se fert, Athenagoræ inter doctores scholæ catecheticæ locum concedere non possumus (82). Pauci quidem ex priscis ipsius mentionem faciunt, & qui faciunt, Atheniensem ipsum adpellant, eundemque ibi docuisse adfirmant. Nemo omnium, Alexandriæ

(81) Vid RECHENBERG. ad apol. Athenag. p. 3. 4. FABRIC. bibl. Græc. Vol. V. p. 86. conferri mereatur LARDNERIUS Geloofw. der Evangelischen Geschieden. P. III. p. 244. 245. (82) Cel. Polyhistor JO. ALB. FABRICIUS bibl. græc. Vol. V. p. 102. maxime pariter sequi Eusebium, Hieronymum ac Photium, quod ad successionem catechistarum Alexandrinorum, quam Philippum Sideren,

driæ ipsum in schola & quidem duplice, quod DODWELLUS autumat, Platonica & catechetica docendi munere functum esse testatur. Sit igitur doctorum Alexandrinorum, quorum memoria ab oblivione vindicata est, *primus*

Pantenus, usque dum certiora argumenta in medium proferantur. Sed vero de eo etiam controversiam nobis movet DODWELLUS, qui, ductus fide fragmenti *Philippi, Clementem Alexandrinum* in munere scholastico antevertisse arbitratur (83). Nimia veneratio ~~αποστολικής~~ istius, ne illud temere produxisse videretur, ipsum ita abripuit, ut contra antiquorum scriptorum auctoritatem ordinem Alexandrinorum doctorum mutare nullus sit veritus. EUSEBIUS, provocans ad ὑπερτυπωσεων a Clemente confixatarum libros, diserte testatur, Pantenium adpellare magistrum suum (84); ita enim vertendum esse existimamus, non generatim magistrum, quia præfuerit scholæ Alexandrinæ, quoniam ita præeuntes habemus antiquiores. Apud HIERONYMUM Clemens adpellatur *Pantenii auditor* (85), PHOTIVS Clementem *Pantenii discipulum*, *scholæque successorem fuisse docet* (86). Veri etiam est simile, ipsum *Pantenium* per illum, in quem in Ægypto inciderit, & apud quem

(83) e. I. p. 501-506. (84) L. V. c. XI. (85) de script. eccl. c. XXXVIII. p. 54. (86) cod. CXVIII. p. 297.

quem conquiererit Clemens, intelligendum esse. Adparet hoc ex illis quæ de ipso addit,  
*ωνηρατος τι γνωσεως χερια ταις αποστολαις ενεγεν-*  
*νθοει λυχαις, incorruptam cognitionis doctrinam illo-*  
*rum, qui ipsum audiebant, animis ingeneravit* (87). Quem igitur nominat, fuit doctor publicus, & quidem qui ante Clementem in Aegypto florens veram doctrinam instillavit illis, qui ad ecclesiæ usum se parabant. Talem vero ante Clementem Pantænum existisse, ex supra adlatis, & constanti doctorum tum antiquorum, tum recentiorum consensione satis superque adparet; quare verba illa Clementis EUSEBIUS (88) recte omnino ad Pantænum refert. Hunc ipsum *Σικελικην μελιτταν* nuncupat, non ac si Sicilia oriundus fuisset, quod post HENR. VALESIUM eruditiss. Le MOYNE conjectat (89), sed quoniam quod statim addit, apum instar, quibus Sicilia abundabat, *προφητικη τε και αποσολικη λειψων τας αινη δρεπο-*  
*μενος, prophetici ac apostolici prati flores decerpfit.* Interim bene sese habet, quod DODWELLUS in seqq. addit, scriptorum ecclesiasticorum ac Philippi narrationem ita in concordiam revocari posse, ut Clementi schola regenda fuerit commissa, dum Pantænus apud Indos evangelium prædicaret, cui ipsi redeunti fasces scholæ restituerit, ut sic Clemens & Tom. I. P. III.

Q

ante

(87) Stromat. L. I. p. 274. (88) L. V. c. XI. (89) Var. sacr. T. II. p. 207. 208.

ante Pantænum, quando sc. ex India rediit,  
 & post ipsum, ubi vitam cum morte commu-  
 taverat, scholam gubernaverit. Initium mu-  
 neris illius scholastici EUSEBIUS initio mu-  
 neris episcopalis *Juliani* illigat quod anno pri-  
 mo Commodi imp. adiisse idem testatur (90),  
 qui a C. CLXXVII. Augustus est renuntiatus.  
 Scholam Alexandrinam ornavit Pantænus per  
 totum illud tempus quo Julianus sedi Ale-  
 xandrinæ præfuit; dantur autem huic X. anni.  
 Inde, Demetrio episcopo, legationem Indi-  
 cam in se suscepit, qua peracta, ad officium  
 scholasticum est reversus. Quot annos a scho-  
 la abfuerit, & quot post redditum in munere  
 suo perrexerit, accurate definire non possu-  
 mus. Si verum est, quod HIERONYMUS de  
 ipso habet, docuisse sub *Severo principe & An-*  
*tonino Caracalla*, quorum ille a. CCXI. Ebo-  
 raci diem supremum obiit, ad minimum  
 XXXIV. annos *κατηχοεών* magister exstitit, si  
 vel primum tantum Caracallæ annum super-  
 gressus (91).

Secundus scholæ catecheticæ moderator fuit  
 CLEMENS non tam a patria, quam habita-  
 tione *Alexandrinus* dictatus, qui ætate non  
 multo inferior Pantæno fuisse, &, dum apud  
 Indos

(90) L. V c. IX. (91) Pantæni vitam exhibent CA-  
 VEUS antiqu. patr. & eccles. p. 373 - 384. DUPIN  
 nouvelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques T. I.  
 p. 78. 79.

Indos moraretur, scholæ moderamini præfuisse, & ubi reversus est, socias eidem manus præbuisse, ipso autem fatis cedente, solus onus hoc sustinuisse videtur. Cum imperante Severo vexationum procellæ ecclesiæ Ägyptiacas concuterent, ipse tempestatem evitaturus, Hierosolymam atque Antiochiam sese contulit, desaviente autem furore isto ad stationem suam se recepit. Quot annos vero post Pantænum scholam sit moderatus, & quo anno ultimum diem composuerit, dicere non possumus. Ipsum Severi & Antonini, Caracallæ sc. temporibus floruisse, scribit HIERONYMUS; igitur a decessu Pantæni non diu superstes fuit. Ad annum usque Christi CCXX. vitam suam produxisse, sententia est DUPINII (92).

Tertius qui fasces scholæ hujus tractavit, fuit ORIGENES, Clementis discipulus (93), qui Clementis vices, quando ille exultatum Alexandria abierat, supplevisse videtur, post illius vero mortem a Demetrio episcopo est confirmatus (94). Ipsius initia in tempora satis difficultia incidebant, & quoniam Christiani passim requirebant, furor in ipsum vel maxime convertebatur: multi quippe aviae superstitioni, doctrina ipsius inducti, nun-

Q 2 tium

(92) c. I. T. I. p. 79. (93) EUSEBIUS L. VI. c. VI.  
PHOT. cod. CXVIII. p. 297. NICEPH. L. IV. c.  
XXXIII. (94) HIERON. de script. eccles. c. LIV.  
p. 62.

tium mittebant, singulari tamen numinis prouidentia est conservatus. Juvenis admodum ad moderamen scholæ hujus accessit, XVIII. tantum annos natus, incredibili tamen sua industria, doctrinæ omnigenæ fama, abstinentia, aliiisque plane insignibus virtutibus rem eo deduxit, ut schola florentissima evaderet, & ex dissitis locis, qui ab ipso erudiri cupiebant, convolarent, & quoniam, licet diligentissimus esset, omnibus attendere minus poterat, *Heraclam*, quo in aliquam laboris partem veniret, adsociare sibi est coactus. Hac re gloria quidem ejus mirum in modum crevit, ut celebratissimi per ecclesias christianas esset nominis, simul vero invidiam, cum primis *Demetrii*, *Alexandrini* episcopi, sibi conflavit, qui criminationibus partim fictis, partim levioribus offensis nimium quantum adiunctis, effecit, ut ex publica concilii sententia munere suo exueretur ac urbe exire coegeretur (95). Alexandria abiit a. X. *Alexandri* imperatoris, quem EUSEBIUS innectit anno C. CC XXXII. Sed quoniam faventem sibi habebat *Theodorum*, episcopum Cæsareæ, iter suum eo direxit, ab eodemque non solum benebole est exceptus verum etiam ut publicam scholam ibidem aperiret, eidem concessit

(95) EUSEB. L. VI. c. II. NICEPH. L. V. c. IV. HIERON. de script. ecclesi. c. LXII. PHOT. cod. CXVIII.  
P. 197.

sit (96), ubi loci per plures annos non sine insigni fructu ac nominis celebritate docuit, usque dum tandem Tyri anno ætatis LXIX. C. CCLIV. ultimam ærumposæ vitæ suæ scenam absolverit (97).

Quartus fuit HERACLAS, Origenis discipulus, quem, cum ante profanorum rituum cultor esset, vorticordia doctrinæ celestis vi una cum fratre Plutarcho ita cepit, ut uterque Christo sacramentum dixerit, posterior vitam pro Christi doctrina posuerit (98). Tantum in omnis generis eruditione potissimum sacra, sub auspiciis Origenis profecit, ut discipulorum numero in dies multiplicato, hunc laborum socium cooptaverit, cui, a quo tempore Origenes, Alexandria relicta, Cæsaream secessit, præfectura totius scholæ est credita. Videtur autem post discessum Origenis ad scholæ gubernacula non diu admodum sedisse, Demetrio quippe episcopo vivis exento, Heraclas successor est datus, qui licet scriptis non inclarerit, tanta tamen nominis ipsius celebritas fuit, ut *Julius Africanus*, qui suo tempore in historia ac temporum doctrina princeps jure haberi poterat, ad ipsum vindendum ac audiendum se contulerit (99),

Q. 3 quam-

(96) EUSEB. L. VI. c. XXVI. canon. chron. L. II. p. 174. (97) de vita Origenis vid. CAVEUS c. I. p. 417 - 464. DUPIN p. 121 - 148. FABRIC. bibl. græc. Vol. V. p. 213, seqq. (98) EUSEB. L. VI. c. III. NI-CEPH. L. V. c. IV. (99) EUSEB. L. VI. c. XXVI,

232 Jo. G. Michaelis Exercit. Histor.

quamquam forte hic pro Heraclia Origenem  
legendum esse existimat *Fronto Duceus*.

Quintus ordine numeratur DIONYSIUS, qui  
pariter ex Origenis disciplina prodiit. Hera-  
clia ad dignitatem summi sacrorum antistitis  
electedo, muneri doctoris in schola catechetica  
obeundo est admotus (100). Qui ipse pariter  
postea munus catecheseon magistri cum sa-  
crorum praesulis apice commutavit, quem  
enim antea in schola antecessorem habuerat  
Heracliam, illius successor, postquam XVI. an-  
nos sacris praeferuerat, est factus. Tertio anno  
imperii Philippi, qui incidit in a. C. CCXLIX.  
episcopum constitutum esse, adseverat EU-  
SEBIVS (101), cuius auspicia CAVEUS ad a.  
C. CCXLVI. reducit (102).

Sextum in schola doctorem cum NICEPHO-  
RO (103) adpellare possumus ATHENODO-  
RUM, quo de memoratu dignum aliquid  
perscriptum non legimus, ut hinc ipsa illo  
tempore de splendore suo multum amisisse  
videatur. Quem ubi medium inter Diony-  
sium & Pierium ponimus, non est quod de  
ingenti hiatu ab a. CCXLVII. ad annum us-  
que CCLXXXII. queratur DODWELLUS.

Ab

NICEPH. L. V. c. XVIII. (100) EUSEB. L. VI. c.  
XXIX NICEPH. L. V. c. XVIII. (101) H. E. L.  
VI. c. XXXV. can. chron. I. II. p. 174. NICEPH.  
L. V. c. XVIII. (102) antiqu. patr. & eccles. p. 534.  
(103) L. V. c. XVIII. quem sequuntur etiam Mag-  
deburgenses cent. III. c. VII. p. 109. 110.

Ab hoc proximum, *septimum sc. locamus PIERIUM*, quem generatim presbyterum eccliasæ Alexandrinæ adpellant EUSEBIUS (104) & HIERONOMUS (105), de quo tamen ita loquuntur, ut ipsum sacratores litteras in schola catechetica interpretatum suis se, satis adpareat. PHOTIUS exserte de ipso adfirmat; τα κατα Αλεξανδριανην γυναικων παιδευτηριαν (106). Magna laude floruisse dicitur imperantibus Caro & Diocletiano, sedente Theone episcopo Alexandrino, unde certum est, ipsum ante a. CCLXXXII. munus in schola non obivisse. Insigni prædictus fuit doctrina dialectices & rhetorices peritissimus, ut animi sui cogitata perspicue ac dilucide declarare, ac cum aliis communicare sciverit, unde Origenes junior est adpellatus. Ipsum hoc ornat elogio NICEPHORUS, αιγαίοις βίᾳ καὶ τῇ καθ' ἐπίληψις παιδείᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ διδόκημασμένος - ταῖς γε μην περὶ τα θεῖα σπέδεις καὶ ταῖς ἐν κοινῷ διαλέξεσι καὶ ἐξηγησεσιν, ὑπερφυως Θαυμαζόμενος (107). Quousque vero in munere hoc suo versatus fuerit, accurate definire non possumus. HIERONYMUS testatur, ipsum post persecutionem vite sue tempus Romæ traduxisse, quod forte de illo tempore intelligendum, quo Diocletianus & Maximianus Herculeus

Q 4 pur-

(104) L. VII. c. XXXII. p. 289. (105) de scriptor. eccl. c. LXXVI. (106) cod. CXIX. p. 300. (107) H. E. L. VI. c. XXXV. p. 437. conf. EUSEB. L. VII. c. XXXII. p. 289.

purpuram posuerunt, anno sc. C. CCCV. Videtur autem hic socium & collegam habuisse Achillam, quod ex iis, quae de utroque narrant EUSEBIUS (108) & NICEPHORUS (109), non obscure colligere licet, adfirmantes, utrius fidei institutionem & sacrarum litterarum doctrinam in cathedra Alexandrina creditam fuisse. Ex discipulis ipsius fuit Pamphilus martyr. Vitam Pierii exhibent DUPIN (110) itemque FABRICIUS (111). Pierio in ordine doctorum Alexandrinorum proximum jungit THEOGNOSTUM, Origenis discipulum Philippus Sidetes in fragmento aliquoties memorato, nec dubium videtur esse, gradum aliquem in schola illa obtinuisse. PHOTIUS certe ipsum adpellat ἔξηγητος, qui titulus doctoribus Alexandrinis, in continua sacrarum litterarum interpretatione versantibus, proprius fuisse non sine ratione censemur §. 2. Illius nullam mentionem faciunt EUSEBIUS & NICEPHORUS. PHOTIUS enarrando ὑπαπνωσεων, ab ipso conscriptarum, libros, qua tempestate floruerit, non indicat. Ex iis autem, quae de ipso Athanasius & Photius adducunt, elucet, ipsum ante Arianorum tempora, adeoque ante concilium Nicænum in flore fuisse (112).

Suc-

(108) H. E. L. VII. c. XXXII. (109) L. VI. c. XXXV.

(110) T. I. p. 195. (111) bibl. græc. Vol. V. p. 277.

(112) Conferri de ipso possunt DODWELLUS c. l.

Successor huic in fragmento Philippi Side-  
tæ datur SERAPION, quem eundem esse  
arbitratur DODWELLUS qui EPIPHANIO  
(113) memoratur. Sed hunc Epiphanius po-  
tius describit tanquam ecclesiæ antistitem, &  
si quidem Epiphanii Serapion idem est cum  
illo, cuius meminit HIERONYMUS (114),  
non solum episcopalı dignitate in Ægypto  
fulsit, verum etiam seniora tempora attigit,  
ob fidei, ab apostolis traditæ confessionem  
imperante Constantio multa perpeſſus.

De PETRO & MACARIO, quibus post  
Serapionem locus inter doctores Alexandri-  
nos conceditur in fragmento, pariter res non  
omnino est certa. De Petro sunt verba, μετα-  
τετον Περὶ ὁ μεγας ἐποκονις μαρτυς γενομενος  
post illum (Serapionem scholæ christianæ præ-  
fuit) Petrus magnus ille episcopus, martyrii coro-  
nam adeptus. Per hunc igitur Petrum non aliis  
intelligendus, quam quidem Petrus, episco-  
pus Alexandrinus, Theonæ in sede successor.  
Quod si jam diceremus, ipsum scholam Alex-  
andrinam rexisse, tum hoc adfirmandum es-  
set, ipsum vel ante quam honorem episcopala-  
lem adeptus esset, scholæ præfuisse, vel mu-  
nus catecheseon magistri una cum episcopalı

Q 5 munere

p. 511, 512. DUPIN T. I. p. 191. 192. FABRIC.  
bibl. græc. Vol. V. p. 276. qui sensu latiore ipsum  
post Originem catecheseon in schola Alexandrina ma-  
gistrum suisse dicit. (113) adv. haeres L. II. T. II.  
p. 728. (114) de script. eccles. c. XCIX.

munere administrasse; neutrum tamen ex il-  
lis, quæ EUSEBIUS (115) & NICEPHORUS  
(116) scripta reliquerunt effici potest. Et si  
quis alterutrum horum adseverare sustineret,  
ratio temporum adversaretur; hic quippe Pe-  
trus, sacerdientibus Diocletiano & Maximiano,  
ob fidei confessionem capite est truncatus.  
De Macario potiori id jure adfirmare licet, ad-  
pellatur enim is PHOTIO (117), της Αλεξανδρειας πρεσβυτερος, qua dignitate aliquos ex do-  
ctoribus scholæ cathecheticae ornatos fuisse,  
in superioribus vidimus. Nominatur πολιτικος,  
i. e. interprete SOZOMENO (118) αξος, urbi-  
cus, νν γαρ addit, τω γενει Αλεξανδρεus, erat enim  
genere Alexandria civitate oriundus, quo ab alio.  
Macario distinguatur. Ingenuo tamen fateor, in-  
dicia, ex quibus ipsum publico in schola Alexan-  
drina munere insignem extitisse, per esse ob-  
scura, qui intentus potius fuit vita religiosa ad  
strictiorem disciplinam componendæ, idem-  
que illud institutum aliis suadendo commen-  
dandoque: παντοδωτης, verba recitamus SO-  
ZOMENI (119), σχεδον ασκησεως ἐπειρσαθη τω  
μεν αυτος περινοων ο δε πας αιδοις ηντοεν, εκ παν-  
τος τροπων κατοχων omnis generis fere exercitiis  
(monasticis sc.) perfunditus est, quorum alia qui-  
dem ipse excogitavit, alia, quæ ex aliis audiverat,  
omni.

(115) H. E. L. VII. c. XXXII. (116) L. VI. c. XXXIV.

(117) cod. CCLVIII. p. 1432. (118) H. E. L. III.

c. XIV. p. 515, 516. (119) c. I. p. 516.

omni ratione emendavit. Clarius hoc facit, ubi dicrimen, quod inter ipsum & Macarium, sic dictum *Egyptium*, intercedebat, indicat: προς τες ἐντυγχανοτας ιλαρος ιν και τω χαριεντιζενται τες νεας ιγεν προς απονοι, erga illos, qui accedebant, hilaris erat, *Et urbanitate juvenes permovbat ad vite monasticae studium.* Argumentum a temporum ratione petitum, quo minus inter catecheticos doctores locum habere possit, expromit CAVEUS (120). Quando igitur inde a Theognosto successio non usque adeo certa, per illam tempestatem schola haec decrementi multum perpessa fuisse videtur, cui rei plurimum conserre potuerunt contentiones Arianae, quae acerrimo studio Alexandriae agitabantur. Evidem inter doctores scholæ hujus *Arium* etiam refert THOMASSINUS (121), qui si unquam munus hoc obiit, hoc certe tempore functum esse, dici debet. Sed verba THEODOREI:

κατα τετον τον χρονον Ἀρειος, μεν καταλογῳ των πρεσβυτερων ἐντεταγμενος την δε των θεων γραφων πεπτευμενος ἐξηγησον. (122), me quidem judice, nihil aliud volunt, quam ipsi in ecclesia divinorum oraculorum interpretationem creditam esse. Hoc ipsum ita esse, inde probari potest, quoniam is post paullo scribit, quod Alexander episcopus, ubi Arius perversi erroris

(120) Hist. litter. p. 48. (121) c. I. p. 278. col. 2.

(122) H. E. L. I. c. II.

roris sui semina spargere cœperat, ipsum sacerdotum numero exturbarit, των ιερατικων εξηλασε καταλογων.

Sed novum aliquod lumen scholæ intulit DIDYMUS oculorum lumine captus, qui singulari sua doctrina, diligentia ac perspicuitate, qua in docendo utebatur, id est consecutus, ut ex remotis terris ad ipsum haut pauci accederent, idemque scholæ pristinum splendorem restitueret. Munere autem hoc functum esse, scriptores ecclesiastici nos dubitare non sinunt. SOZOMENUS adpellat ipsum προισαμένον ἐν Αλεξανδρειᾳ τῷ ιερῷ διδασκαλειᾳ των ιερων μαθημάτων (123), RUFINUS scholæ ecclesiastice doctorem (124). Fuit is gente Alexandrinus, cui puerο, quinque annos nato, hæc obtigit calamitas, ut cum prima elementa attigisset oculorum usu prorsus orbaretur. Quoniam autem incredibili in litteras ferebatur ardore, precibus, adsiduitate, sagacitate ac continua meditatione eorum, quæ auribus ex præceptoribus hauserat, id impetravit, ut eximiam prorsus doctrinam disciplinarum philosophicarum, interque illas mathematicarum, cum primis theologiae sibi paraverit, ut Athanasio aliisque ecclesiæ Alexandrinæ antistitibus dignus videretur cui scholæ ecclesiastice cura crederetur. Nec illos spe ac expectatione, quam de ipso conceperant, est frustra-

(123) L. III. c. XV, p. §23. (124) H. E. L. II. c. VII.

frustratus, SOZOMENO enim memorante,  
 πολλοὶ μάται κλεος τῷ ἀνδρὸς εἰς Αλεξανδρίαν παρεγινόντο, οἱ μὲν ἄντες αἰνισσομένοι, οἱ δὲ ισορηστες μονον, multi gloria viri hujus exciti, Alexandriam proficisciabantur, alii quidem ut ipsum audirent, alii (curiositate moti), ut ipsum viserent (125). Inter alios discipulos celebritate nominis inclutos habuit Hieronymum, Rufinum, Palladium, Ambrosium Alexandrinum, Evagrium, Isidorum, alios. Nec scholæ solum utilem præstitit operam, verum etiam ecclesiæ salutem omnibus viribus promovit. Cum enim insigni facundia esset, inque errorum gyris extricandis mira facilitate ac felicitate gauderet, plurimos, quos Arianorum strophæ in avia abduxerant, ita cepit ut, missis erroribus, in sinum ecclesiæ, recte sentientis, se reciperent. Quo anno in munus hoc suum fuerit immissus, certo definiri nequit. EUSEBIUS (126) ipsum a. CCCLXXIII. celebrem jamdum extitisse notat, & HIERONYMUS testatur, ipsum illa tempestate, qua de scriptoribus ecclesiasticis commentabatur, octogesimum tertium annum excessisse (127), quod de a. LXXXIII. non exacto, sed incoato accipit FABRICIUS ac a. C. CCCXCII. illigat, qui annos LXXXV. consummatos haberet, ubi vivis eximeretur; Annus ipsius emortualis, in A. C. CCCXCVI. est conjiciendus (128).

Ul.

(125) H. E. L. III. c. XV. p. 523. (126) can. chron. p. 187. (127) c. CIX, p. 100. (128) de hoc præter Sozo-

Ultimum scholæ hujus doctorem nominat Philippus RHODONEM, qui munus auspicatus fuisse dicitur imperatore Theodosio magno. adeoque ante a. C. CCCXCV. quo ipso laudatissimus princeps mortalium turbæ est ereptus, sed illo tempore, uti ex modo dictis patet, in illa adhuc docebat Didymus. Hunc ipsum scholam Alexandria Siden Pamphilie urbem transtulisse narrat, sed cum hominis hujus fama sit perobscura, nec Alexandrinos permisisse credibile sit, ut schola illa antiqua, unde tantum utilitatis ac decoris non urbi Alexandrinæ solum, sed & omni Ægypto adhuc conciliatum fuerat, aliorum transferretur. Dubium tamen vix est, quin ab illo tempore vel prorsus perierit, vel præfectos habuerit qui gloriam nullam scholæ addiderint, ut hinc lumen illius fere fuerit extinctum. Evidem illam sœc. V. adhuc durasse contendunt Magdeburgenses (129), nominantes aliquem illi præfectum *Hieracem*. Sed vereor, ut is sparta ista satis illustri dignus sit. Qualem hominem describit SOCRATES (130), vilioris cujusdam ludi magister fuisse videtur, ὁ γεωμετρῶν των πεζῶν διδασκαλος ἦν.

menum H. E. L. III. c. XV. RUFINUM H. E. L. VII.  
consuli possunt DUPIN T. II. p. 129 - 131. FABRIC.  
bibl. græc. Vol. VIII. p. 351. seqq. (129) cent. V. p.  
4. (130) H. E. L. VII. c. XIII. NICEPHORUS H. E.  
L. XIV. c. XIV.



## II.

PAULI ERNESTI JABLONSKI  
COGITATIONES  
DE  
LACEDÆMONIORUM CUM  
JUDÆIS COGNATIONE

ad locum i Maccab. XII, 7. 21.

## I.

**L**ocus est per celebris, & multorum disputationibus insigniter vexatus, de cognatione Lacedæmoniorum cum Judæis, qui legitur in primo Maccabæorum libro cap. XII. Ibi enim primo quidem referuntur literæ Jonathæ, Principis & Sacerdotis maximi Judæorum, ad Lacedæmoniorum populum, in quibus is cum populo suo provocat ad testimonium, de hac cognatione, ipsius Arii Spartanorum regis, vñl. 7. Ετι πρέπεον αἰτεῖσθαι ἐπισολᾶς πρὸς Ὁνιαν τὸν Ἀρχιερέα, πάρα Ἀρεικ τῷ βασιλεύοντος ἐν ὑμῖν, ὅτι ἐστὶ ἀδελφὸς ἡμῶν, οἵ τε ἀντιγραφον ὑπέκειται. Jam antea missæ fuerunt literæ ad Oniam Pontificem, ab Ario regnante apud Vos, declarantes, Vos esse fratres nostros, uti exemplum subiectum docet. Mox autem

autem proferuntur ipsæ illæ Arii literæ, in hunc sensum scriptæ vs. 21. Ἐγέδην ἐν γραφῇ περὶ τῶν Σπαρτιατῶν ἢ Ἰσδαιῶν, ὅτι εἰσὶν αἰδελφοί, ἢ ὅτι εἰσὶν ἐν γένεσιν Ἀλεξανδρός. Scriptum invenimus, Spartiatas & Iudeos fratres esse, ex generere Abrabæ. Hocce Spartanorum de Judæis testimonium, longe illustrius & Genti suæ gloriosius esse existimavit Josephus, quam ut tacite præteriri posset. Itaque mentionem illius fecit duobus distinctis in locis, Antiquit. Lib. XII. c. 5. & Lib. XIII. c. 9.

## II.

Quis nescit, rem istam, permultis ex Criticorum Ordine, & viris quidem Principibus crucem fixisse? Exercuit sane illa ingenia præstantissima Josephi Scaligeri, Hugonis Grotii, Sam. Bocharti, Stephani Morini, Ezech. Spanheimi, Hadr. Relandi, Jo. Franc. Buddei, & quot non aliorum? quorum nonnulli fassū sunt, haud inviti, se nihil hic cernere, alii, nonnunquam eximio cum eruditionis apparatu, ea protulerunt, quæ candide expensa, veri amantibus, satisfacere omnino nequeunt. Animus erat quondam, in præcipuas saltem, virorum eruditorum super hac re lententias inquirere. Verum cum \* ex ephemeridibus literariis publicis intellecterim, Goit. Wendorffium, Virum clarissimum & doctissimum, in Oratione quadam auspicatoria, Gedani in Prussia

\* Relat. Lips. Germ. A. 1744. num. XXXIII. & LXXXVI.

Prussia haud ita pridem habita, hoc ipsum argumentum perquam eruditè persecutum fuisse, & veluti exhausisse, consilium meum mutavi, et si Orationis illius copiam nancisci hactenus haud potuerim. Verum impetrare tamen à me non potui; quin sententiam Stephani Morini, quam is \* duabus peculiaribus de hoc argumēto Dissertationibus explicuit, quæque non modo ingeniosa videbitur omnibus, sed etiam insigni verisimilitudine, & probabilitatis specie, judice \*\* Buddeo se commendat, sub examen vocarem, & præcipua illius fundamenta, quæ non modo Morino, verum etiam eruditis aliis vehementer impo- fuerunt, accurate excuterem, quod ab aliis factum esse, hactenus non deprehendi.

### III.

Et primo quidem Morinus in Dissertatione I. p. 13. 14. Edit. Genev. hario latur, cognitionem quæ Spartanos inter & Judæos extitisse dicitur, optime repeti posse ab Odoman-tibus, vel, ut alii scribere malunt, Odoman-tis, populo Thraciæ, quem ab Edonorum gente non differre, contra Herodoti, Thucydi-T. I. P. III.

R. dis,

\* Duæ hæc Dissertationes, cum aliis ejusdem auctoris conjunctim editæ sunt, Genev. 1683. 8vo. recensæ postea Dordraci 1700.

\*\* In Programmate de origine gentis Hebraice, quod extat in Syntagma ejus Dissertation. Theolog. p. 724.

dis, aliorumque veterum auctoritatem, per-  
peram adstruit. *Odomantos* porro, Vir doctus  
persuadere nobis nititur, fuisse origine *Idu-*  
*meos*, stirpe Abrahami satis, quorum, uti au-  
guratur p. 26. *ingens multitudo*, cum pluribus  
*Cananeis Thraciam & Graciam* petierit *Cadmo du-*  
*ce*, quando *Josua Cananeorum patriam adortus est*,  
*& cum suis Israëlitis occupavit*. Id vero partim  
ex ipso *Odomantorum* nomine, partim ex Ju-  
daismo gentis hujus, Veterum testimoniiis di-  
fertis comprobato, recte colligi posse consi-  
dit. Et quod ad nomen quidem *Odomantorum*  
attinet, haud gravate largior, illud à nomi-  
nibus אֶדוֹם, אֶדְוִים, *Edom*, *Edomitarum*  
& *Idumæorum*, non adeo longe recedere, et si  
tamen dici nequeat, omnia hæc, & græca &  
hebraica, esse tantum unum idemque nomen.  
Vicissim mihi largientur viri cordati, & judi-  
cii subacti, ex hujusmodi in nominibus, ali-  
quali literarum similitudine & convenientia,  
nihil certo probari posse, nisi accèdant alia  
argumenta solidiora.

## IV.

Longe majorem itaque vim haberet argu-  
mentum, quod ab ejusdem gentis Judaïsmo  
petitur, si de eo certo constaret. Vir eru-  
ditus provocat ad testimonium antiqui inter-  
pretis Aristophanis, qui ad Poëtae hujus *Achar-  
nenses* v. 157. vel p. 378. Edit. Genev. ita com-  
mentatur: Ὀδομάντος, οὗτος Θεακτικός. Φασὶ δὲ  
αὐτοὺς

Autem Isdaius iuravit, *Odomantii gens sunt Thraciea.*  
Dicunt autem, ipsos Iudeos esse. Quæ ex eo, uti  
folet, Suidas repetit, in voce *Annesbylaner.*  
Numquid dici potest disertius? Et profecto,  
si scholia stæ huic fides tuto haberi posset, ne-  
gotium hoc confectum utique esset, & Ju-  
dæorum, aut saltem Abrahamicarum gen-  
tem haberemus in media Thracia, circum-  
cisionem ab Abrahamo præceptam, religiose  
observantem. Et id sane crediderunt erudi-  
torum non pauci. Verum, quod pace ipso-  
rum dixero, verba sibi a scholia stæ Aristo-  
phanis dari nimis facile passi sunt. Quis quæ-  
so, præter unum hunc Scholiasten, &, qui  
ejus verba tantum transcripsit, Suidam, talia  
de Odomantis, aut Thracibus in universum,  
ex Veteribus memorie unquam prodidit?  
Herodotus, historicorum omnium, quos ha-  
bemus, antiquissimus, idemque rerum qua-  
rumcunque memoratu digniorum curiosissi-  
mus indagator, de *Odomantis* aliquoties loqui-  
tur, Lib. V. c. 16. VII. c. 112. & tamen de  
ipsorum circumcisione, aut qualicunque Ju-  
dæismo verbum nullum adjicit, is ipse Hero-  
dotus, qui de Colchis id observeare minime  
neglexit. Verba ejus, quia egregie pro no-  
bis militant, hic quoque legi merentur. So-  
li, inquit, *omnium hominum Colchi & Egyptii,*  
*& Äthiopæ à temporibus ultimis circumcidunt.* Nam  
*Phœnices & Syri, qui sunt in Palæstina (loquitur*  
*de Judæis) didicisse id ab Egyptiis & ipsi con-  
tentur.*

tentur. *Syri vero, qui fluvium Thermodontem & Parthenium accolunt, & horum contermini Macrones, à Colchis se nuper didicisse ajunt.* Hi enim EX HOMINIBUS SOLI SUNT, QUI CIRCUMCIDUNTUR. Lib. II. c. 104. Eece Herodotum, cui per bene cogniti erant Odomanti, non secus atque Colchi, testantem clare, Ægyptios, Æthiopes, Colchos, Macrones, Syros, & Phœnices, ex omnibus hominibus solos esse, qui circumcidantur. Itaque Odomanti, qui circumcisi essent, penitus latuerunt Herodotum, uti & Scriptores veteres omnes, qui de gentibus Judæorum more circumcisionis loquuntur. Quoties vero Scriptores vetusti de Odomantis sermonem injiciunt, hos inter reliquosque Thraces, quorum mores, & instituta patria, tum sacra, tum civilia non ignorantur, discrimen omnino nullum ponunt, iisque etiam originem non Idumæam, neque Judaicam, verum Thracicam assignant. Referunt enim, \* ex Callirboë, natos fuisse Bistonem, Odomantem, & Edonum, ex quibus nempe totidem Thraciae populi, Bistones, Odomanti, & Edoni ortum traxerint, satis hoc ipso testantes, se Odomantorum aliam, quam Thracicam originem, cognitam non habere. Unde rectissime L. Kusterus, in notis ad Aristophanis Acharn. p. 119. ita judicat, *Sed tamen priorem interpretationem*

\* Stephanus Byzantius in *Bizacvia*. Vide & Holstenii notas in hunc auctorem voce *Oδομάντος*.

tionem preferam, donec ex Veterum monumentis aliquis probaverit Odomantes, quæ erat Gens Thracie, olim circumcidi solitos fuisse.

V.

Sed quid tandem fiet de Scholiaste Aristophanis, quem ducem viri eruditum sequi solent? An non, quod supra intelleximus, conceptis verbis testatur de Odomantis? Dicunt vero ipsos Judæos esse. Non negaverim, Scholia sten hunc optima fide egisse; sed ajo, ipsum, & quotquot eum sequuntur, ex verbis Comici male intellectis in errorem inductos fuisse. Crediderunt, poëtam hunc testari, Odomantos more Judæorum genitalibus esse circumcisos, quantumvis ipse de tali re ne per somnium quidem cogitaverit. Verba illius, in Acharnenibus hæc sunt vs. 157.

Tις τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτέλεσκεν ἄρ.  
ist est, interprete Frischlino

Quis queſo Odomantum præcidit genitalia?  
in quibus explicandis misere se torquet; sed  
& continuo fere hallucinatur bonus scholias-  
tus, qui tamen permultos alios in societatem  
erroris pertraxit. Et illi quidem primo in re-  
cte interpretanda voce ἀποτέλεσκεν, vel ἀποτε-  
λεσκεν aberrarunt. In universum duplice mo-  
do vox haec potest exponi. Quibusdam, si-  
cuti observat ad h. l. Kusterus, ἀποθεάζειν τὸ  
πέος est veretrum distingere, seu glandem ejus, re-  
ducta pellicula, denudare. Alii de circumcisione

R 3

pelli.

*pelliculae, quæ superiorem glandis partem tegit, locum hunc interpretantur: cui sententia favere videatur vox ἀπεψαλημένος, quæ mox sequitur. Ea quippe interdum significat recutitum, sive circumcisum: quales hodie sunt Judæi, & olim Egyptii & Phœnices.* Deinde is idem ita pergit: sed ego tamen priorem interpretationem præferam, donec ex Veterum Monumentis aliquis probaverit, Odomantes olim circumcidi solitos fuisse. Et credo præferent omnes, qui rem seria & æqua lancee expendent. Ipse bonus Scholiaestes, postquam pueriles nescio quas nugas attulisset, tandem etiam hanc interpretationem amplectitur. Hoc enim sibi volunt haec ejus de Odomantis verba: ἀποτεσμένα εἰχον τὰ αἰδοῖα. Deinde vero & hoc monendum, quod nescio, an ex interpretibus Poëtæ hactenus quisquam observaverit, Aristophanem id, quod de Odomantis hic dicit, non toti ipsorum genti, ut ritum constantem & patrium attribuere; sed iis tantum, qui nunc Legati ex Thracia Athenas venerant. Nam si Odomanti, ex antiqua patria consuetudine, semper habuissent, τὰ πέρις ἀποτεσμάτων, vel, quod idem est ἀποτεσμάτων, cur obsecro, Dicæopolis, civis Atheniensis, apud Poëtam veluti mirabundus quæreret?

Tis τῶν Ὀδομάντων τὰ πέρις ἀποτέθησαι οὐ  
Quis, modo nunc, Odomantorum genitalia de-  
scrinxit?

Loquitur haud dubie de re quæ eo ipso tem-  
pore

pore contigisset. Et præterea, qui genium Poëtæ facetum perspectum habet, non difficulter intelliget, eum more suo & hic jocos captare, & in verbis lusitare, quæ etiam causa est, quod in exponendo verborum istorum genuino sensu tantopere hæreant, & à se invicem dissentiant interpretes.

V I.

Non existimo me operam & oleum perditum, si in indaganda vera Poëtæ sententia aliquod studium posuero. Hactenus enim illa nondum videtur satis intellecta fuisse. Et ea perspicue declarata, ruet omnis de Judaismo Odomantorum male concepta suspicio. In Fabula illa Aristophanis, cui nomen fecit Acharnensibus, populus Atheniensis, qui jam aliquot annos onus belli Peloponnesiaci persenserat, spe vana eaque multiplici deluditur. Ad sunt, qui ei animum addant, fiduciamque augeant, ut bellum semel cœptum strenue persequatur. Eum in finem, præco publicus primo introducit Legatum regis Persarum, qui nomine ejus, pecunias & sumtus ad bellum gerendum necessarios populo promittat; verum nescio quas fraudes negotio huic subesse, suspicatur Dicæopolis, civis Atheniensis. Succedunt illi tum alii, tanquam à Sitalce, potenti Thracum rege ad Athenienses missi, qui polliceantur, regem ingeniti cum exercitu electorum militum auxilio

R 4

ipſis

ipsis venturum esse. Illos igitur adeisse, coramque populo verba facere jubet praece vi.  
154.

*\*Οἱ Θρᾷκες, ἵτε δεῦρος, οἵ Θέαροι οὐγάρε  
Thraces buc adeisse, quos Theorus Atheniensium  
legatus, secum ex Thracia adduxit.*

Cum vero illico compertum esset, Thraces hos, aut esse, aut saltem dici, de gente Odomantorum, Dicæopolis, civis ille Atheniensis, cuius mentionem jam feci, ita ex Præcone indignabundus querit

*Ποίων Ὀδομάντων, εἴπε μοι τοῦτο τι ἦν,  
Quos tu mibi loqueris Odomantos? Dic queso  
quid hoc rei est?*

Et jam sic pergit

*Τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος αποτέλεσαντες ἄν.*  
Mihi dubium non est, quin jocari voluerit Dicæopolis. Latent hic facetiae & sales Comici, quos, qui ad totam Orationis seriem animum advertit, non ita difficulter subodorabitur. Existimo autem, acumen hujus joci querendum esse in voce *ἀποτέλεσαντες*, quam hoc modo in omnibus Aristophanis Codicibus MSS. scribi, testatur Kuiterus, et si tamen ipse malit legere *ἀποτέλεσαντες*, eo quod apud Suidam, aliosque scriptores, ubi aut locum hunc citant, aut ad eum respiciunt, lectio haec constanter reperiatur. Mihi, ut verum fatear, magis placet lectio antiqua Codicum Aristophanis, cuius nunc rationem redam

dam. Atheniensibus facta fuerat spes, adfuturos à Sitalce, potenti Thracum rege, qui, teste Diodoro Siculo, Lib. XII. p. 104. omnes fere Thraciæ populos subegerat, legatos, qui verbis ejus auxilia amplissima Atheniensibus pollicituri essent. Sed ubi jam comparere jubentur Thrases, loco ipsorum, sistunt se quidem ex Odomantorum gente, qui regionem incolebant, finibus satis angustis circumscriptam, Sitalcis imperio minime parentes; sed sūi juris, quod ex Thucydide liquet Lib. II. p. 169. Edit. Wechel. Eam igitur ob causam, Dicæopolis ira & indignatione correptus, quærerit: *Quos tu mibi Odomantos narras?* tu, qui copiarum à Sitalce, magno Thracum rege mittendarum spem modo nobis feceras. Et tum hæc addit, sèpius jam allata

Tις τῶν Ὀδομάντων τὸ πέπον αἰνεῖθεν εὖ.  
conjicio, vocem *ἀποτέλεσμαν*, esse plane novam, & nunc ab Aristophane confictam, quales apud Poëtam hunc permultas occurrere, oppido notum est. Significat autem, proprie ex mente Comici, uti ego opinor, *Thracem exuere*, tanquam dixisset: Quis nunc hos, *ex Thracibus*, Iceptro potentis & bellicosi Sitalcis parentibus, subito transmutavit in Odomantos, gentem ignobilem, à qua parum commodi sperare licet? Quoniam vero vox nova *ἀποθεάζειν*, cum antiqua, omnibusque valde nota *ἀποθηάζειν*, de qua §. V. dictum, insinuem soni affinitatem habet, huic posteriori

R. 5 autem,

autem, significatio obscœna inest, Comicus, quod homini impuro solenne est, relicta vocis suæ novæ genuino significatu, quem subinnuisse contentus est, ad cognatæ vocis sensum obscœnum delabitur, eique inhæret, ut genio suo jocoſo obſecundet, utque apud auditores riſum cieat. Et jocus tamen hic leviculus, minimeque honestus, à lectoribus non recte perspectus integrum gentem, more Juðæorum circumcisam, in media Thracia nobis produxit, in qua \* eruditii nonnulli, aliquas decem Tribuum Israëlis reliquias, sibi reperiisse viſi sunt. Idem etiam sententiae Morini, de cognatione Spartanorum cum Juðæis, quam viri doctissimi valde probabilem judicant, fulcrum præcipuum constituit.

## VII.

Postquam fundamentum hoc sententiæ Morinianæ everti, omnia quæ superstructa ei sunt, una cum ipso corrueſe oportet. Quare eti illuc permulta alia examine digna occurrant, ea tamen missa potius facio. Verum quando

\* J. P. Baraterius, juvenis ingenii portentosi, & raræ in tali aetate eruditioſis, in Dissert. VIII. subjuncta Itinerario Benjamini Tudelenſis p. 337. ea de re ſic loquitur. *Quelquesuns de ces Israélites penetrent dans la Thrace: c'est de quoi on n'e peut douter, après les marques visibles de Judaïſme, qu'on trouve dans ce pays. Les Odomantes, peuples de la Thrace étoient Juifs. Voici ce qu'en dit Aristophane &c.*

quando vir idem præclarus, sub finem Disserit.  
I. p. 35. novum nobis offert argumentum, à priori distinctum, ex quo colligit, jactata in illam Spartanorum cum Judæis cognationem, vetustis etiam Græciæ Scriptoribus ignota non fuisse, id tanto minus prætermittendum esse putavi, quanto plures ex eruditis nostris, ad eundem lapidem offendisse observavi. Verba Morini hæc sunt: Denique, ne t'el minimum sententiæ nostræ deficiat fulcimentum, in ipsa Lacedæmoniæ Judæi inveniuntur, præter Idumæos & ceteros Cadmi Socios: Judæos inquam Lacedæmonie vicinis regionibus satis celebres & numere eos inveniam, ut inter Orientis domitrices Bacchi coias eminuerint, & persuaserint, ipsam Judeam ab iis fuisse denominatam. Scilicet apud Stephanum de urbis in Judæa resertur, quod Claudius Iolaus iam velit diætam (αὶδη Ιωάλις Σπάρτεως ἐν θύλαις μετὰ Διονύσου ἐσπερθέντος, quæ sic vertit Morinus.) A Judæa Spartiata e Thebis cum Baccho in militiam profecto. Deinde istud suum judicium subjungit. Necesse est, ut Lacedæmoniæ Judæi fuerint celebres, quandoquidem à Judæis Lacedæmonensibus Judeam denominatam Græci crediderunt. Cum autem Judæi illi, vel Idumei, Judæorum nomen usupantes, inter Sparta & Spartanorum authores & conditores extiterint, & in eandem gentem coaleverint, non mirum, si Judæorum, Patrias sedes obtinentium, Lacedæmonii se fratres autumaverint. Quis tam sit iniquus, ut negare velit, hæc acutè & non sine aliqua veri specie dicta esse? F. a. neri

teri certe oportet, nihil oportunius ad illustrandum argumentum, in quo versabatur Morinus adferri potuisse, si Stephanus, aut quem is sequitur, ea re ipsa dicerent, quæ dicere creduntur: aut si illa quæ dicunt, ullo modo cum veritate conciliare liceret. Verum profecto verba Stephani, corrupte edita, Morino fraudi fuerunt, sicuti & alios viros undecunque doctissimos, in erroris affinitatem induxerunt.

## VIII.

Ipse ille, quo nemo in hisce literis felicius versatus est, præstantissimus Bochartus, lectoris Stephani verbis, & sibi imponi passus est. Nam cum decantatam illam quæstionem de Spartanorum cum Judæis cognatione attigisset, eam ex solo Stephano, aliquo modo illustrari posse putavit: Geogr. Sac. Part. II. Lib. I. c. XXII. Aliud non habeo; inquit, quod regeram, quam quod apud Stephanum Byzantium, Claudius Jolaus, Judeos fabulose deducit *αντιτοιχος* &c. Commentitus ille Sparton, ita pergit, author scilicet generis Judæorum, potuit confundi cum alio Spartone, Phoronei filio, Spartæ conditore, ut nonnullis visum, quos tamen refellit Pausanias in Laconicis. Abrahamus Berkelius, cui Stephanus plurimum debet, in notis ad hunc scriptorem judicium magni Bocharti, suffragio suo ita confirmat. Optime suspicatur Bochartus, ex his Claudi verbis ortam esse Fabulam, Judeos & Lacedemonios esse congeneres, sic enim scribit

bit rex *Lacedæmonum Arius* in literis ad *Oniam* I.  
*Maccab.* XII, &c. In quibus eruditii viri ver-  
bis, illud tantum animadvertisendum esse du-  
co, Claudiu[m] Jolaum, quem citat Stephanus,  
& de quo mox plura, Ario Spartanorum  
rege, & Onia Pontifice maximo Judæo-  
rum, haud parum videri recentiorem, un-  
de ex illo hi desumere utique non potuerunt,  
quod de cognatione Spartanorum cum Ju-  
dæis, literis prodiderunt. Nec in diversum  
ab his abit vir de *Geographia sacra* præclare  
meritus, Hadr. Relandus, cuius hæc legua-  
tur in *Palaestina*, verba. p. 36. Errant quoque,  
qui à *Judæo* nescio quo, *Spartonis* filio, *Judeorum*  
nomen deducunt; unde & originem traditionis illius,  
*Spartanos* & *Judæos* fuisse gentes cognatas, nonnulli  
petunt. Ita scribit Stephanus &c. Fatendum  
quidem omnino est, viros hos doctissimos,  
fabulam de *Judæis* à *Spartone* oriundis, cum  
contemu[er]e rejicere. Sed crediderunt tamen,  
non minus atque Morinus, famam talem in-  
ter Græcos percerebuisse, idque Claudiu[m], à  
Stephano adductum testari. Verum ubi Clau-  
dii hujus verba ab omni parte versa verimus,  
& à mendis, quæ verba ejus insederunt, li-  
beraverimus, apparebit, ne eum quidem ta-  
le quid cogitasse, aut dicere voluisse.

I X.

Verba Stephani Byzantii, quorum toties  
mentionem feci, in articulo 'Iudæis', ita con-  
cepta leguntur. 'Ιουδαῖοι - - οἱ Κλαυδίοι' Ιολαῖοι  
απὸ

ἀπὸ Ιερούλου Σπάρτεως, ἐν θύης μετὰ Διονύσου ἐσθία-  
 τευκότος. Quæ ex interpretatione Abrah. Ber-  
 keliæ id sonant. Judea - - secundum Claudiū  
 Jolam nomen habet à Judeo Spartonis filio (vel ut  
 alii vertunt, spartiata Lacedæmonie) qui Thebis  
 una cum Baccho in militiam abiit. Tota igitur  
 hæc Traditio, de Judæa denominata à Judæo  
 quodam Spartonis filio, testimonio ntitur  
 Claudiū Jolai, hominis perquam obseuri, cuius,  
 quantum quidem scio, præter unum Stephanū  
 m, nemo unquam mentionem fecit. Ve-  
 ruī bene jam monuit Lucas Holstenius, in  
 notis, pro Ἰλλαος rescribendam esse Ἰλλιος  
 quem Stephanus quoque laudat in Articulis  
 Ἀκη, Δῶρος, & Λαμπη, in quo postremo ar-  
 ticulo nomen ejus accurate scriptum occur-  
 rit. Observarunt etiam viri eruditæ, aucto-  
 rem Etymologici, in voce Κλαδεῖα, hunc ipsum  
 Claudiū Julium testem adhibere, ut igitur de  
 emendatione illa dubitandum non sit. Qua-  
 ætate scriptor hicce vixerit, hucusque non-  
 dum liquet. Primus, qui mentionem ejus  
 fecisse deprehenditur, est Stephanus, Scriptor  
 seculi quinti, qui ad ejus historiam Phoenici-  
 cam aliquoties provocat. Et nomina, quæ  
 junctim gessit, Claudiū Julii, indicio certo mi-  
 hi sunt, eum & Julio Cæsare, & Claudio Im-  
 peratore posteriore extitisse. Unde, quod  
 §. VIII. jam monui, fieri non potuit, ut Arius  
 Spartanus, aut Onias Judæorum Pontifex,  
 ex eo aliquid mutuo sumserint. Cumque post  
 Stephā-

Stephanum, non videamus quenquam Claudii hujus Julii auctoritate uti, præter Etymologici magni auctorem, ex eo satis tuto colligimus, eum in exiguo admodum apud Veteres pretio fuisse.

X.

Utinam tamen extarent ipsa Claudii hujus Julii verba, ad quæ Stephanus provocat, & quæ tamen sive Stephanus ipse, sive Epitomator ejus Hermolaus, integra non attulit, luculentius enim omnes tum intellecturi essent, auctori huic nunquam in mentem venisse, extitisse aliquem nomine *Judeum*, gente *Spartanum*, qui cum exercitu Bacchi, per *Palestinam* transiens, regioni huic nomen *Judeæ* imposuerit, quod viri eruditæ sibi persuadent. Evidem non nego, verba, uti in nostris Stephani Codicibus scripta leguntur, tale quid omnino significare. Legimus enim, Ἰσδαιαν regionem, nomen hoc accepisse ἀπὸ Ἰσδαιος Σπαρτανος, quod Bochartus sic reddidit, à *Judeo* quodam *Spartone*, ubi incertum est, quodnam ex duabus hisce nominibus, *Judæi* & *Spartonis*, habuerit pro proprio, quodve pro gentilitio. Sed id tamen in aperto est, secundum Bocharatum, hunc *Judeum* *Spartonem*, *Lacedæmonem* fuisse, Ita enim scribit. Commentitius iste *Sparton*, auctor scilicet generis *Judeorum*, potuit confundi cum alio *Spartone*, *Pboronei* filio, *Sparte* conditore, ut nonnullis visum, quos tamen refellit *Pausanias* in *Laconicis*. Aliter vero Berkelius

lius verba Stephani, nempe hunc in modum convertit, à *Judeo Spartonis filio*, quem Relandus sequitur. Aliter denique Stephanus Morinus, ut qui nomen *Sparton* habuerit pro Gentilitio, unde versio ejus ita sonat, à *Judeo Spartiata*. Æquum etiam censuit vir doctus p. 35, hanc versionis suæ rationem reddere. *Ut Λάκων, Λάκωνος est Lacedæmonis incola, sic Σπάρτων, Σπαρτῶνος est Sparta incola.* Quod etiam atque etiam vereor, ut Grammaticis persuadeat vir eruditus. Etenim Λάκων est primativum, unde est Λακωνικὴ. *Lacedæmonum regio*. Sed à Σπάρτη, quæ est Urbs Laconicæ regio-*n*is, non descendit Σπάρτων, sed Σπαρτιώτης; idque Stephanus etiam observavit in voce Σπάρτη, neque etiam exemplum in contrarium adduci poterit. Et hæc sane causa est, quod *Spartonem* Bochartus, aliisque eruditi viri, maluerint accipere pro nomine proprio viri.

## XI.

Verum enim vero verba illa Stephani, quæ tantum inter eruditos dissensam pepererunt, oscitantia librariorum jam dudum depravata fuere, & medela aliqua opus habent, quæ rite adhibita, omnis Spartæ ac Spartanorum idea evanescet. Primo igitur apud Stephanum pro Σπάρτων rescribendum plane est Σπαρτῶν ἐὸς, id enim Claudius Julius sibi vult, *Judaum*, seu quocunque aliud viro illi nomen fuerit, extitisse *unum e Spartis*, sic à Græcis dicuntur, qui in agro Thebano ex dentibus draconis,

draconis, à Cadmo in terram projectis, tanquam ex semine prognati, fabulose à Poëtis perhibebantur. Σπαρτοὶ enim sunt sati, vel seminati. Rem hoc modo narrat Apollodorus, in Bibliotheca Lib. I. p. 156. Edit. Galei. Quo Cadmus responso accepto, per Phocensem terram iter faciebat: mox bovi inter Pelagonitis armenta obviam fatus, eam pone sequebatur: ea vero Bœotia percursa, bumi procubuit, ubi nunc extant Thebæ. Deinde bovem illam Palladi madaturus, e Sociis suis quendam, ex Martio fonte desumtam aquam reportaturum mittit: draco fonti custos appositus erat: hunc Marte satum fuisse perhibebant. Is ex aquaturis plerosque absunxit. Quare indignatus Cadmus, draconem interemit: ac Minerva consilio ejus dentes serit, quibus satis, armati e terra viri exorti sunt, quibus SPARTIS. id est satis, nomen inditum fuit. Græca habent, ἐς ἔκάλεσαν ΣΠΑΡΤΟΥΣ. Hi postea, sic pergit, mutuis sese vulneribus occiderunt. Sed Pheracydes scriptum reliquit, Cadmum, ut armatos viros e terra exoriri conspexit, lapides in eos conjecisse. Tum eos, quemque à Socio se percuti existimantes, mutuam inter se pugnam iniisse. Verum ex iis quinque incolumes superfuerunt. Ex horum Spartorum numero fuisse virum illum, de quo loquitur, vult Claudio Julius, Σπαρτῶν ἦν.

XII,

Nihil Spartis hisce apud priscos Græcos celebrius aut nobilius extitit, unde toties apud Poëtas veteres, uti & historicos & Geographos, eorum mentio occurrit, et si non sem-

T. I. P. III.

S

per

per amanuenses & interpres veram hujus nominis vim perciperent, illudque ideo, aut inter scribendum, aut inter vertendum s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> corruperint. Sic apud Georgium Syncellum in Chronographia p. 65, inter res Græcorum vetustiores, multorum sermone celebratas, commemorantur etiam Σπαρτοί, sed vox illa in versione latina Goari, male omnino redditur *Spartani*, cum vertendum esset *Sparti*. Nam vocem istam, Græcorum sermone per celebrem, retinent etiam Scriptores optimi latini. Ea igitur Censorino restituenda est de die natali cap. IV, ubi in Editione Lindenbrogi<sup>i</sup> legitur: *Et in Colchide, vel in Bœotia consitis anguis dentibus armati partus.* Editio Carrionis, quod me notæ Lindenbrogianæ docent, hic habet *Spartæ*, unde facile patet, auctorem scripsisse *Sparti*, vel græcis literis σπαρτοί. Lindenbrogius ad hunc ipsum locum complura veterum coacervavit loca, in quibus τῶν σπαρτῶν mentio occurrit; sed, quod impense miror, Textum ipsum in Editione sua neque correxit, neque corrigendum esse monuit. Consimile mendum in Lactantii Lib. III. cap. 4. advertere licet, cum longe plurimæ & meliores Editiones illic hunc in modum sint conceptæ, tanquam Spartiatæ illi Poëtarum, sic se invicem jugulant. Ubi dubium esse non potest, quin rescribere oporteat *Sparti*, quod etiam in Editionibus recentissimis Walchii & Bunemannii, Virorum de Lactantio optime

optimè meritorum ; factum esse deprehendo.  
Ad Græcos scriptores ut jam redeam, macu-  
lam huic persimilem e Suidæ Codicibus sustu-  
lerunt quoque viri eruditæ, quibus calculum  
adjecit Bochartus. Apud Suidam hæc legi-  
mus in voce Ἐπαμινόνδας. Τῷ τάφῳ πίστει φέση-  
τεν γὰρ στοιχίον ὑπ' αὐτῷ δράκοντα ἔχοντα ἐπειργυαρύ-  
νον ἦθελε δὲ ὁ δράκων σημαίνειν, τῇ γένεσι τῶν σωαρ-  
τιστῶν ὄντα. Super tumulum columnæ erectora est  
cum Scuto, in quo draco celatus est, eoque insigni  
indicatur, Epaminondam ortum esse e Spartanis.  
Merito hæc Bocharto hujusmodi visa sunt, quæ  
concoqui non possint, Geograph. Sac. Part.  
II. Lib. I. c. XXII. Quis enim unquam, inquit,  
fando audiit, Thebanum Epaminondam, e Sparta  
genus duxisse? Proinde iis omnino assentior, qui  
apud Suidam σωαρτῶν legunt, pro Σπαρτιστῶν. De  
hac vero emendatione tanto minus dubitare  
licet, quia Suidas hæc, quæ de tumulo Epa-  
minondæ adfert, totidem verbis descripsit e  
Pausanias Arcadicis cap. XI. p. 622. Edit. Küh-  
nii. Ibi autem genuina hæc lectio cernitur  
conservata 'Ο μὲν δὲ δράκων ἐθέλει σημαίνειν, γέ-  
νεσι τῶν Σπαρτιστῶν καλεμένων εἶναι τὸν Ἐπαμινόνδαν.  
Draco autem in scuto sculptus indicio est, Epami-  
nondam ab iis ortum ducere, qui Sparti nuncupan-  
tur. Toties igitur, ut ex his quæ diximus,  
abunde constare potest, librarii in scribenda  
voce hac aberrarunt, unde mirum non est,  
eosdem Codicem quoque Stephani Byzantii,  
in loco quem nunc præ manibus habemus,

depravasse, scribendo Σπάρτων, pro eo quod  
scribendum erat, ΣΠΑΡΤΩΝ ἘΝΟΣ, quæ ipsa  
tamen lectio incorrupta apud eundem Ste-  
phanum occurrit in voce <sup>"Αζωτος"</sup> Ἐκαλεῖτο  
δὲ πελώρια, απὸ τῶν ΣΠΑΡΤΩΝ ἘΝΟΣ Πελώρων.  
Vocabatur vero Azotus Achajæ civitas, etiam  
Peloria, à Peloro, qui unus ex SPARTIS fuit.

## XIII.

Ea, quæ hactenus de Spartis disputationis  
insigniter confirmabuntur, quando ad emen-  
dationem Stephani, quam in superioribus sup-  
peditavi, aliam novam nunc addidero. Nem-  
pe corrigenda pariter vox Ιεδαίς, quam Clau-  
dius Julius pro sua nunquam agnitus esset,  
quamque librarii indocti ideo tantum Stephano  
invito obtruserunt, quia sermo est de Ju-  
dæa. Verum haud dubie totus locus ita con-  
stituendus est. Ως δὲ Κλαύδιος Ιελιος, (Ιεδαίος  
ἐκλήθη) απὸ Ουδαιίς Σπαρτῶν ἐνός. Sicut autem  
Claudius Julius perhibet, iudea nomen hoc accepit  
ab Iudeo, uno ex inclytis illis Spartis. Spartus  
itaque ille, qui secundum Claudium Julium  
Judææ nomen hoc imposuit, appellatus fuit  
UDÆUS. Postem id, si vellem, integra testimoniū  
nube probare. Verum ne videar eruditō-  
rum quorundam, ac sigillatim Johannis Jon-  
sii, cuius extat singularis \* Dissertatio de  
Spat-

\* Dissertatio illa Epistolica, scripta A. 1654. recusa est  
in Grævii Collectione Dissertationum rarissimarum Hi-  
storico-Philologicarum p. 205. &c.

Spartis, scrinia compilare, pauca tantum se-  
ligam testimonia; sed idonea, & rem quam  
volo, extra dubitationis aleam collocatura.  
Testem itaque produco Apollodorum, qui  
postquam Libro I. Bibliothecæ, historiam Spar-  
torum, quam supra dedi §. XI. retulisset, hæc  
tandem subjungit p. 157. περιστάθησαν δὲ πόντες,  
Ἐχιῶν, ΟΤΔΑΙΟΣ, χθόνιος, Τπερίνωρ, πέλωρ.  
Ex Spartis autem, qui se mutuis vulneribus ab-  
sumserunt, quinque superstites fuerunt, Echion,  
Udaeus, Chtonius, Hyperenor, & Pelor, quem  
alii vocant Pelorum. Eruditus Apollonii Rho-  
dii Scholia in Lib. III. v. 1178. ex Hellani-  
co, auctore vetustissimo, refert, ὅτι (οἱ καδ-  
μοὶ) τὰς ὁδὸντας ἔσπειρε τῷ δράκοντος κατὰ Ἀρεός  
βόλησιν. Καὶ ἐγένοντο πόντε αὐτῷς ἔνοπλοι, ΟΤ-  
ΔΑΙΟΣ, χθόνιος, Πελωρ, Τπερίνωρ, Ἐχιῶν, Cad-  
mus, uti Mars præceperat, dentes draconis sevisse,  
& ex illis exortos fuisse quinque viros armatos,  
Udaeum, Chtonium, Pelorem, Hyperenorem, &  
Echionem. Adfert ibidem verba Pherecydis  
eadem Spartorum nomina referentis, & ex  
eo hæc superaddit. Καὶ αὐτὸς οἱ Καδμοὶ ποιεῖ-  
ται πολῖται, κατοικήσας αὐτὸς ἐν Θῆβαις. Et quin-  
que hos Cadmus Cives Thebanos fecit, ipsisque ur-  
bem inhabitandam dedit. In his omnibus UDAEI  
nomen inter Spartos constanter appetet, si-  
cuti & apud Pindari Scholia, in Isthm.  
Od. I. p. 438. Edit. Pauli Stephanii, & apud  
Scholia Euripidis in Phœnissas v. 949. qui  
illuc ad testimonium Aeschyli provocat. Ne-  
glis-

gligentiae igitur librariorum adscribendum est, quod apud Stephanum nomen *Udæi*, illustre quidem, sed sibi minus cognitum mutaverint in illud *Judæi*. Similem errorem commissum etiam videmus in verbis Lutatii, non indocti Papi-nii Statii interpretis, quæ in Editione Linden-brogii Parisina p. 96. ita leguntur. Propter quinque illos, qui de draconis dentibus nati sunt, & occisis reliquis soli superfluisse dicuntur: qui condenti *Cadmo* *Thebas* socii fuerunt, id est *Echion*, *Pelorus*, *Hyperion*, *Tydeus*, & *Cthonius*. Ubi pro *Tydeus* reponendum omnino esse *Udæus*, ex superio-ribus satis liquet.

## XIV.

Non deerunt, credo, quibus derivatio no-minis *Judeæ* ab *Udeo* videbitur à veri specie paulo rémotior, quique ob istam rationem sibi persuadebunt, correctionem Stephani, quam obtuli, locum difficulter habere posse. Ita profecto censuerunt librarii, in quorum manus bonus noster Stephanus incidit, ideo-que nomen *Udæi*, sibi ignotum, quod hoc lo-co concoquere plane non potuerunt, detor-quendum putarunt, in illud, quod etiamnum illic legimus, *Judæi*. Neque etiam re ipsa de-est fabulosus aliquis Græcorum *Judeus*, pater scilicet gentis *Judeorum* in Palæstina. Ecce, quæ de hoc Plutarchus in Libro de *Iside & Osiride* memoriarum prodidit p. 363. Οἱ δὲ λέγοντες ἐκ τῆς μάχης ἐπὶ ὅν τῷ Τυφῶνι τὸν φυγὴν ἐπέλα ἡμέραις, καὶ σωθήσαται γεννήσας παιδας, Ἱεροσόλυμον,

λυμον γε ΙΟΤΔΑΙΟΝ, αὐτόθεν ἐισὶ πατέδηλοι τὰ Ἱεράναι πρεσβύτορες εἰς τὸν μῦθον. Qui autem dicunt, e prælio Typhonem asino vestum, per septem dies fugisse, elapsumque filios genuisse, Hierosolymum & Iudeam: facile patet, eos res Judaicas in fabulam banc adsciscere. Vocatur idem à Tacito Hist. Lib. V. c. 2. Judas. Sic enim is scribit. *Qui-dam regnante Iside, exundantem per Aegyptum multitudinem, duce Hierosolymo & IUDA (nisi modo ibi legendum sit Judeo) proximas in terras exoneratam.* Sed quis quæso fabularum græcarum, quibus gentium omnium sibi cognitarum, & populi quoque Judaici historiam inquire solent, rationem semper reddere queat? Aliud exemplum cape ex illo ipso Stephani loco, ex quo Claudii Julii testimonium decerptum est. In eo enim & ista habentur. Ἱεράλια, [οἱ μὲν] Ἀλέξανδρος ὁ πλούτωρ, αἴπο τῶν πατέδων Σεμιραμίδος, ἱερὰ ἡ Ἰδουμαία. *Judea, uti quidem Alexander Polyhistor perhibet, nomen habet à filiis Semiramidis Judea & Idumaea.* An non igitur is ipse quoque fuerit Judeus, vel Judas, de quo apud Stephanum, Claudius Julius loqui voluit?

XV.

Ego tamen, nequicquam his obstantibus, spero, testimonia, quæ ad stabilendam emanationem propositam adduxi, talia esse, ut

S. 4. dubium

\* Is ipse tamen alio loco Judæ ex Jacobo originem veram refert, apud Eusebium Præpar. Evang. L. IX. C. 21.

dubium omne eximere merito debeant. Et quidni licuerit Claudio illi Julio *Judeæ* nomen derivare ab *Udeo*? cum certo sciamus, alias ratione plane simili nomen regionis illius deduxisse ab *Ida*, notissimo, in Crete insula, monte. Sic enim Tacitus loco jam cit. *Judeos Creta insula profugos, novissima Libye inse-  
disse memorant* - - Argumentum e nomine petitur: *inlytum in Creta Idam montem, accolas Idaeos, au-  
do in Barbarum cognomento, Judeos vocitari.* Ra-  
tionem derivationis illius, quam sequitur  
Claudius Julius, ipse hic auctor nobis sugge-  
rit, quando scribit, *Udeum, unum ex Spar-  
tis, à quo Judæa nomen acceperit, cum*  
*Baccho in militiam profectum fuisse.* In fabu-  
lis autem Græcorum prohibetur, Bacchum  
cum sociis, quibus nonnulli etiam *Udeum* an-  
numerant, expeditionem suscepisse, non mo-  
do in Indiam & Arabiam, sed etiam in Sy-  
riam & Phoeniciam, sub quibus regionibus,  
veteres Judæam quoque comprehendere  
communiter solent. Quia igitur Bacchus in  
subigenda Palæstina, opera *Udei* usus crede-  
batur, primum erat Græcis quibusdam, ex  
eo nomen *Judeæ* arcessere, et si ceteroquin  
Scriptores alii narrent, *Udeum* Thebis conse-  
disse, & in urbe illa ex ejus stirpe originem  
traxisse Tiresiam vatem, teste Apollodoro  
Lib. III. p. 177.

## XVI.

Non invitus hucusque ea, quæ de Judaismo  
Odo-

Odomantorum, & de Judæo Spartone, à viris eruditis adferri solent, paulo prolixius excusū. Hæc enim præcipua sunt, quæ ad illustrandam aliquo modo venditatem illam ab Ario Lacedæmone & Jonathane Judæo, Spartanorum & Judæorum inter se cognationem, ex tota antiquitate proferri & cum aliqua probabilitatis specie urgeri potuerunt. Si etiam hisce argumentis, ne vel tantillum quidem inest soliditatis, actum est de bona fide Arii, sive auctoris, quisquis demum sit, qui literas illas Maccabæorum libro inseruit. Et ut libere, quod res est, dicam, Epistola illa in universum, quæ sub Arii nomine illic lectoribus obtruditur, mihi jam dudum majorem in modum suspecta fuit. Solenne est veteribus historicis, græcis & Romanis, ut Orationes, tanquam à viris illustribus publice habitas, libris suis intertexant, et si nemo ignoret, ex ipsorum historicorum proprio cerebro, eas prodiisse. Et cum Epistolæ publico nomine scriptæ, nihil aliud sint, quam orationes ejus generis, literis consignatae, & ad alios transmissæ, nihil mirum est, Epistolas quoque hujus furfuris, id est fictitias & commentitias, in historicorum Commentariis reperiri. In censum istiusmodi Epistolæ, cogendam quoque esse illam, quæ tanquam ab Ario Lacedæmonum rege scripta, in primo Maccabæorum libro exhibetur, ut suspicer, permulta suadent, exque maximi

S 5 pon.

ponderis rationes. Idem in mentem jam venit, Joh. Franc. Buddeo, in Programmate supra citato, & ante hunc Josepho Scaligerio, qui Canonum Isagogicorum Lib. III. p. 340. 341. aliquot nobis hanc in rem rationes, perquam modeste tamen, subministrat. Et illas quidem pluribus nunc urgerem, & alias præterea superadderem, nisi ex \* ephemeridibus literariis hujus anni didicissem, argumentum hocce à viro doctissimo, cuius §. II. mentionem jam feci, nuper occupatum & feliciter expeditum fuisse. Docent me Ephemerides memoratae, virum clarissimum id agere, ut ostendat, & Epistolam Arii Lacedæmonum regis, & historiam totam fœderis illius, Iudeos inter ac Spartanos pacis, tempore Oniae Pontificis maximi, confitam fuisse à Judeo quopiam, Jonathanem autem, Judæorum omnium primum cum Spartanis fœderis Societatem iniisse. Suppositionem porro Epistole idem rectissime contendit probari posse, ex tota illius compositione ac textura. Nam & nomina, quorum ibi mentio occurrit, & argumentum, in quo versatur, & dialectus, qua conscripta est, & stylus, qui adhibitus est, ratio, Epistolam vobementer suspectam reddunt. Adversatur utique formæ regiminis, quæ tum Spartæ obtinebat, repugnat ingenio, moribus, & statui Lacedæmonum ejus temporis atque vicissim modum & sentendi, & scribendi, & agendi Hebreorum prodit. Ex quo liquet

\* Relat. erud. Lips. german. A. 1744. num. LXXXVI.

liquet verum ejus auctorem, gente non Spartanum; sed Judæum fuisse. Adhæc, quod propemodum totius rei caput est, vir idem eruditus, ex rationibus Chronologicis probare satagit, illis temporibus, quibus Onie, & quidem nominis hujus quatuor, summo Sacerdotio inter Judæos functi sunt, nunquam regno Lacedæmonium potitum fuisse regem, qui Arii nomen gesserit. Quæ omnia, cum prorsus ita se habeant, consequitur necessario, non potuisse Arii regis ad Oniam Sacerdotem extare literas genuinas, eas vero, quæ talem inscriptionem præferunt, nonnisi pro confictis & falso suppositis agnosci debere. Sequitur etiam, eruditis posthæc de cognationis Spartanorum cum Judæis fundamento, sollicite cogitandum amplius non esse.



## III.

MICHAELIS ROSSALLI †  
 REFUTATIO  
 NONNULLORUM ARGU-  
 MENTORUM  
 THEODORI BEZÆ,  
 QUIBUS DEFENDIT MALI-  
 TIOSAM DESERTIONEM ESSE  
 CAUSSAM DIREMPTI  
 CONJUGII.

## §. I.

**I**nter primæ nobilitatis Italiæ familias Caraccioli celebrantur; sunt enim valde nobiles, splendore generis, opulentia, vetustatis, potentia, dignitatum & munera, tam civilium, quam sacrorum & militarium. In his ortus Galeaffius Caracciolus, \* natus Ne-

\* Vid. Anonym. vita Galeaffii.

† Vir hic longè celeb. A. 1721. Groningæ habuit dissertationem in 1 Cor. VII, 12-16. quâ contra Bezam in primis afferere satagit, minus recte statui, Apostolum his verbis D. yortum ob malitiosam desertionem per-

Neapoli, mense Januario Anno 1517, Patre Nicolao Antonio, viro, ob prudentiam & in rebus agendis dexteritatem, Carolo V. Cæsari, hujusque filio Philippo, caro & probato, usque ad ejus mortem, anno 1562. Matre ex illustri Carafarum familia, sorore Pauli IV. Pontificis Romani. Deinde annorum viginti, matre mortua, quum esset filiorum unicus, patre auctore, decus & patrimonium suæ familiæ in posteros propagare cupiente, uxorem duxit Victoriam Ducis Nucerini filiam, ex qua lex liberos sustulit, quorum 4. melioris

mittere. Quam Disputationem ob insignem Doctrinæ copiam interiuimus *Thefaur. Nov. Theolog. Philol.* junctis operis quondam mecum à Celeb. *Haseo* curati Tom. II. p. 798. Cum autem nonnulli in sententiâ Viri Clariſſ. nondum acquiescerent, operæ pretium duxit, eandem hac commentatione proprius adstruere, quam ante 4. & quod excurrit menses mecum benevolè communicavit, significans simul, sibi plura superesse ad nonnullos sigillatim Viros Doctos refellendos, quos à se dissentire expertus esset. Interim antequam hæc imprimi potuit, tristissimus ad me delatus est nuncius, Virum optimum a. d. IX. mensis Octobr. annos natum LXXII. cum tribus septimanis, fatis functum esse. Quo casu non solum Academia Groningana sed universa Resp. literaria haud leue damnum passa est, dum non tantum Vir multiforme eruditioñis, sed imprimitis Græce Doctissimus erat, ut insignia ingenii monumenta loquuntur, de quibus forte alias agendi locus erit, quemadmodum & si reliqua inedita ad hoc argumentum spectantia nancisci poterimus, eadem eruditio orbi non invidebamus. C. J.

ris sexus erant. Tot tantasque difficultates & tentationes atque illecebras, Galeassio superare opus fuit, derelicta domo sua, familia patria, & aula Cæsaris ut meliorem partem sequeretur, anno 1551, veritate primum agnita per Petrum Martyrem Vermilium Florentinum, Canonicum regularem Neapolitana epistolas Pauli ad Corinthios publice explicantem anno 1541, quum Galeassius ætatis annum ageret 24. adeò ut post decennium ætatis 34. annorum, 8. Junii Genievam tanquam in portum salutarem devenerit, infinitis ante periculis & procellis evitatis & superratis, ut ibi à Johanne Calvino, præcipuo non solum ejus Ecclesiæ sed totius Orbis Doctore informaretur, arctiore amicitia cum eo contracta, quæ usque ad Calvini discessum anno 1564. perduravit. Hujus viri piissimi & in verâ ac sincera pietate constantissimi prædicandas esse laudes, quæ isto tempore erant spectaculo, judicavit vir acri iudicio Joannes Calvinus, ut in longinquis regionibus tunc adirentur, & ab iis qui postmodo etiam nascerentur, possent legi. Quæ præconia oratione tam gravi & tam factunda exposuit ut in exemplum hic proponantur. \*

Generoso viro virtutumque præstantia magis

\* Vid. Joh. Calvini commentarii in omnes Pauli Apostoli epistolas, Genevæ apud Haeredes Eustat. Vignon. 1600. p. 117. ante Commentarium in I. ad Corinthios.

gis quam genere illustri, D. Galleazo Ca-  
racciolo, Marchionis Vici unico filio & le-  
gitimo hæredi, S.

„Utinam &c.

„Apud te vero, Clarissime vir, excusatio  
quærenda esset, cur nunc te in illius locum  
substituam, nisi in tua incredibili humani-  
tate & amore erga me tuo omnibus amicis  
nostris perspecto, fretus libere mihi hoc  
permitterem. Atque ut ad vota iterum re-  
vertar: utinam mihi ante decenium suis-  
ses cognitus: nulla enim novandi ratio nunc  
suisset. Quod ad commune Ecclesiae exem-  
pium spectat, bene habet quod non modo  
jactura carebit illius quæ nobis subducta est  
personæ oblivio, sed longe uberior modis  
que omnibus potior in te compensatio suc-  
cedet. Etsi enim neque tu plausum thea-  
tri appetis, uno teste Deo contentus, neque  
mihi propositum est, laudes tuas narrare:  
quod tamen cognitu utile est, ac fructuo-  
sum non prorsus celandi sunt lectores: ho-  
minem primaria familia natum, honore &  
opibus florentem, nobilissima & castissima  
uxore, numerosa sobole, domestica quiete  
& concordia, totoque vitæ statu beatum,  
ultra ut in Christi castra migraret, patria  
cessisse: ditionem fertilem & atrociem, lau-  
tum patrimonium, commodam non minus  
quam voluptuosam habitationem neglexis-  
se:

„ se : exuisse splendorem domesticum , Patre,  
 „ Conjuge , Liberis , cognatis , affinibus se  
 „ privasse : postquam autem tot mundi ille-  
 „ cebris valedixit , nostra tenuitate conten-  
 „ tum , frugalem ac popularem vivendi ra-  
 „ tionem non secus colere , atque unumquem-  
 „ libet ex nobis .

„ Quamquam hæc aliis ita recito , ut pri-  
 „ vatū quoque usum minime præteream :  
 „ nam si tuas virtutes hic tanquam in specu-  
 „ lo lectorum oculis subjicio , ut se ad earum  
 „ imitationem forment ; me cui proprius sunt  
 „ perspectæ quotidiano & liquido earum intui-  
 „ tu non magis ad vivum affici turpe esset .  
 „ Ceterum quia & ego , quantum ad fidei meæ  
 „ pietatisque confirmationem valeat tuum  
 „ exemplum experior , & non vulgarem in-  
 „ de se profectum sensisse mecum fateantur ,  
 „ quotquot hic agunt Filii Dei : operæ pre-  
 „ tium duxi , si mea prædicatione similis lon-  
 „ gius manaret utilitas . Alioqui insulsum fo-  
 „ ret de laudibus hominis , cuius natura & in-  
 „ genio nihil magis ab ostentatione remotum  
 „ fingi potest , etiam apud exterios , & lon-  
 „ ge diffitos verba facere . Itaque si complu-  
 „ res quibus propter longinquitatem hæcte-  
 „ nus fuisti ignotus , hoc admirabili documen-  
 „ to proposito , relictis nidis quibus nimium  
 „ sunt affixi , ad imitationem se accingent ,  
 „ uberem meæ scriptoris fructum adeptus  
 „ ero .

Id

„Id quidem inter Christianos plus quam  
 commune usitatumque esse debuerat, non  
 prædia modo & arces & principatus æquo  
 animo relinquere, ubi aliter Christum sequi  
 non licet: sed etiam alacriter libenterque  
 præ ipso despicere quicquid sub cœlis pre-  
 ciosissimum ducitur. Sed, quæ nostra  
 innuum tarditas est vel potius societas,  
 dum frigide multi Evangelii doctrinæ an-  
 nuntiantur, vix centesimus quisque ejus causa,  
 si prædiolum nescio quod possideat, ab ipso  
 ævelli se sustinet: vix quisquam, nisi æger-  
 tume, ut minimis commodis renunciet, ad-  
 ducitur: tantum abest, ut se vita abdicare  
 parati sint, ut decebat. Imprimitis vero  
 cunctos in sui abnegatione (quod est virtus  
 tum omnium caput) optarim tui esse simi-  
 les. Mihi enim optimus testis es, & ego  
 vicissim tibi, quam parum nos oblectet eo-  
 tuim consuetudo, qui tandem ostendunt  
 reliqua patria, eosdem quos illic gerebant  
 affectus, huc se attulisse. Sed quia Lector-  
 res plura secum reputare præstat, quam ver-  
 bis exprimam, jam me ad preces conver-  
 to, ut Deus qui te mirifica spiritus sui vir-  
 tute hic usque animavit, invicta constantia  
 ad extreum usque instruat. Nam & quan-  
 tis certaminibus te exercuerit Deus, me  
 non latet, ex quibus pro tua singulari pru-  
 dentia colligis, duram adhuc & laboriosam  
 militiam tibi restare. Quam vero necesse  
 sit

T. I. P. III.

T.

„sit, manum e cœlo nobis porrigi, ipse multis experimentis edocetus, perseverantiae donum ultro mecum inde exposces. Ego vero Christum Regem nostrum, cui à Patre data est summa potestas, & penes quem depositi sunt omnes spiritualium bonorum thesauri, precabor, ut in columnen te diu nobis conservet, in propagationem regni sui, atque in te de satana, ejusque factione triumphare perget. IX. Calend. Febr. MDLVI. decem post annis quam hic Commentarius primum in lucem prodiit.“

## §. II.

Postquam autem Genevam devenerat, tam multa ac tam varia invictæ & inconcussæ pietatis documenta edidit, tum quando cognato quodam, quem tanquam fratrem dilegebatur, submisso, ut complura alia prætereamus, post mutuos amplexus tenerimos inter suspiria utriusque & lacrymas, ad ceteras causas electi a se hujus exilii, hoc firmo doctrinæ Domini fundamento est innexus, \* si quis venit ad me, & non odit paerem suum & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus; tum etiam, ubi à Patre ad Imperatorem euntes, auctoritate paternâ uso missio ei libero Venetorum commeatu Veronam est evocatus anno 1553. tum maxime ubi, anno 1558. ad mandata Patris iterata, precessque

\* Luc XIV. 26.

que uxoris sæpius repetitas, ipse Vicum advenit, sermonibusque multis cum ea habitis, postquam nullis rationibus ei potuit persuaderi, debere sequi virum, & cum eo habitare, pollicitus liberum suæ Religionis exercitiū, quum ipse, quam profitebatur certò statuisse nunquam abnegare, tandem ei palam denunciavit, quemadmodum ante decreverat, si secum agere vitam nolit, & habitare, daturam sibi justam divortii causam.

Hinc Genevam IV. Octobris a. 1558. est reversus, consuluitque Calvinum, utrum consilium de uxore repudiandâ justum foret & legitimum, communicatis cum eo rationibus permoventibus, tum maximè, necessitate quæ ipsum urgebat.

Calvinus pro incredibili quo pollebat iudicio, satis providebat & prospiciebat, hujusmodi divortii Censores non defuturos, qui veram Religionem eo nomine calumniarentur, quamobrem auctor ei fuit Petrum Martyrem Theologosque præcipuos tam Helvetios quam Rhætos de te tam ardua consulendi; quibus censentibus Galeassium posse salvâ conscientiâ, alteram ducere uxorem, quandoquidem prior vincula, quæ eos conjungabant, abruperat, Galeassius magistrum compellavit postulavitque ut permitteretur sibi cum uxore sua divortium facere, & alteram ducere. Quod ubi impetrasset, de novis nuptiis cogitavit, duxitque tandem An-

nam Fremieram 16. Januarii, anno 1560.  
quacum conjunctissime vixit, usque ad diem  
extremum vitæ.

Hoc ut novum & inusitatum exemplum,  
memoriae hominum in omne ævum commit-  
tendum existimavit per illustris Historiarum  
scriptor Jac. Aug. Thuanus, libro LXXXIV.  
enarratis ab initio rebus ad Galeacum perti-  
nentibus, cuius verba hoc loco describemus,  
ut lectorem cura eadem in vasto volumine  
perquirendi & labore liberemus.

„ Italorum mentio atque adeò Columnæ  
„ me admonet, inquit Thuanus, ne Galeacum  
„ Caracciolum Vici Marchionem, qui hoc  
„ anno debitum naturæ procul à patriâ per-  
„ solvit, indiētum præteream. Is Nicolaum  
„ Antonium bellis sub Arausinensi Principe  
„ in Italia celebrem, patrem habuit, matrem  
„ Petri Antonii Carafæ, qui Paulus IV. post  
„ adeptum Pontificatum dictus est, sororem  
„ Victoriam Ducis Nucerini filiam in uxorem  
„ duxerat, ex qua numerosam sobolem su-  
„ stulit. Sed cum sub id Petrus Martyr Ver-  
„ milius Neapolim venisset, & jam tum dis-  
„ seminatam per Helvetios & in Germania  
„ doctrinam fidis in arcano instillaret, in iis  
„ sectatores habuit Joannem Valdesium Hi-  
„ spanum, de quo alias dixi, & Johannem  
„ Franciscum Casertam Galeacio adfinitate  
„ conjunctum, & ipsum Galeacum qui jam  
„ archam cum M. Antonio Flaminio Victoriæ  
„ Co-

„Columnæ Piscarii Marchionis viduæ perfa-  
„miliari, ob pietatis studia amicitiam cole-  
„bat, non quod Flaminius doctrinæ in ce-  
„teris illi addictus esset, sed quod quædam  
„ad justificationem pertinentia, ut alias di-  
„ximus, & multa quæ prava consuetudine  
„in Ecclesiam irrepisse videbantur, emenda-  
„ri consultum duceret. Tandem à Valdesio  
„& Vermilio persuasus, & cum officii caussa  
„in Germaniam, ut Carolo Cæsari inservi-  
„ret, venisset, Argentinæ convento eodem  
„Vermilio, qui interim in Germaniam dis-  
„cesserat, magis confirmatus, Genevam pa-  
„tre & conjuge ac liberis relictis concessit;  
„cum aliquoties cum Patre primum in Italia, &  
„postea cum patre aut conjugе collocutus, nec  
„illius reverentia, nec amore hujus, aut li-  
„berorum collo paterno harentium blandi-  
„tiis ac lacrymis adduci posset ut propositum  
„mutaret. Postremo Genevam reveritus, qua-  
„si uxor secum prima divorcium fecisset, a-  
„liam duxit anno CIOIOX, primum consul-  
„tis Pastoribus, sicuti scribunt, qui res eas  
„prodidere, Annam Fremeieram nomine  
„jam quadragenariam, quæ viro priore de-  
„functo, Rotomago, unde nata erat, ob re-  
„ligionis causam paullo anto migraverat,  
„eum eaque in summa tenuitate, quippe bo-  
„nis omnibus dejectus, ad annum LXVIII.  
„ætatis conjunctissime vixit, novo divorcio

T 3

„pro-

„probati, ex superinductæ uxoris, non sine  
„protestantium invidiâ, exemplo.

Qui vitam Galeassii conscripsit, & propositi  
tenacem, & Dei valde metuentem, verbique e-  
jus reverentem fuisse docet, à quo proposito nec  
infamia, nec honorum bonorumque jacturâ,  
quæ ejus exsiliū sequebantur, nec patris re-  
verentiâ, nec uxoris & liberorum amore, di-  
moveri unquam potuit, perfectæ constantiæ ex-  
emplum præclarissimum exhibens, sed ille scri-  
ptor etiam annotavit, in juventute studiorum &  
literarum, neque cultorem adeoque neque  
peritum fuisse, quapropter fit verisimile, ubi  
ex verbo DEI in foro conscientiæ existimavit,  
licere sibi cum uxore legitimâ divortium face-  
re, & aliam ducere, id eum amplexum esse  
constantem, urgente necessitate, præsertim  
repertis Doctoribus qui ei assentiebantur, el-  
seque tales Virum benignâ aliquâ indulgen-  
tiâ dignum, si in re tam gravi locus indul-  
gentiæ dari queat. Si vero qui in ejus sen-  
tentiam adducebantur, nullum aliud ejus  
sententiæ fundamentum in verbo DEI inve-  
nere, quam locum controversum i Cor. VII.  
15. de cuius sensu tam anxiæ quæsitus est.  
Ego quum olim de eo cogitarem, omnem  
controversiam seponebam, inquirens solu-  
m in mentem Pauli, nullo respectu ad recentio-  
rum interpretationem: nunc autem post-  
quam ad Th. Bezae judicium adducti sumus,  
visum est opera pretium de eo aliquatenus  
age.

agere, ut liqueat quanta cum difficultate in eo sit versatus.

§. III.

Nos sanè eum virum quantivis semper, ut par est, fecimus, eumque magnopere etiamnum reveremur. At vero, pro summa sua modestia in hoc argumento, quid, quæso, ipse præ se palam tulit, ubi se accinxit ad disceptandum de Polygamia, Repudiis & Divortiis? patet id ex Epistola ad Wolterum Mildmayum, cui istud opus dedicavit. Itaque secundum Dei cultum, inquit Beza, nihil est in quo tantum interdit hominum, quid fas sit aut nefas ex verbo Dei cognoscere. Neque vero ipse mibi in hoc argumento satisfeci, sed doctiorum Theologorum studia mibi sat fuit commovisse. Et majore etiam modestiâ versâ paginâ: Ego, quid mibi de istiusmodi multis videatur, quasi unusquispiam exposui, nec cuiquam prejudicium factum volui. Et sumti ad tractandum argumenti momentum tanquam maximum extollit, & sese sibi in eo non satisfecisse vir summus apertè & ingenuè profitetur. Non igitur est mirandum, si dum nonnullos in partes traxit, ut sunt hominum studia & ingenia diversa, aliis tamen non in omnibus plenè & perfectè satisfecerit, qui ne sibi ipsi satisfecerat, Vir tantæ doctrinæ tanti acuminis & pietatis. Nihilque prohibet de ipsis queri & diversas eorum sententias audiri quos appetet veritatis investigandi studio duci. Ut iterum Beza scribit in eadem ad Mildmayum Epistola,

Planis autem verbis quid de justis Divortiis cauiss sentiat sic exponit. *De Rep.* § *Div.* p. 87: *Duo sunt quæ hic affirmo: Unum, duobus præterea modis (præter mortem) Conjugia ex Dei verbo, ac proinde auctore Deo, directa censere, nempe Adulterio & Desertione, quamvis non eadem Adulterii quam Desertionis ratio. Alterum nullam bic esse hominum immo ne Angelorum quidem auctoritatem, ad novas leges de plenis ac veris divortiis ferendas, sed hac in re penitus acquiescendum esse in uno DEI verbo.* Misso a nobis isto Beze Altero, adversus Cæsares & Philosophos, misso etiam adulterio, Bezae collectio de desertione hæc fuit *De Rep.* § *Div.* p. 95: *Itaque omnibus non contentiosis constare puto, quum dicatur a Paulo frater vel soror servituti non subiici, intelligi abruptum esse omne conjugalis obligationis vinculum. . . . . Nam si teste Apostolo, desertus non est servituti obnoxius, consequitur, a lege alterius (ut idem Paulus ibidem loquitur. 1 Cor. VII. 39.) id est, ab omni eo jure, quo persona desertrix eum obstrictum tenebat, liberatum esse. Quod si liber est, ergo solutum est vinculum. Cur igitur si continere non potest, matrimonii remedio, contra doctrinam Apostoli privabitur, modo nubat in Domino &c.*

#### §. IV.

Rari non sunt, neque olim fuerunt, Viri alioquin graves & docti & pii, qui sive ipsi sibi quipiam in animum induxerunt, sive illud

illud ipsis est ab aliis persuasum, magna asseveratione & fiducia affirmant quod non probant. Verba ista, certè, constat, in confessio est, & multa alia similia, quæ sicutum imprudentibus sè penumero faciunt, non sunt argumenta, neque prudentibus libertatem auferunt quipiam suis ponderibus perpendendi. Nolim quidem pròlixius rationem Beza omnem ponderare, quandoquidem ejusmodi quamcunque disquisitionem, ab initio refugiebam, & mihi tantum obscuriorem Pauli sententiam, ut verbo Christi convenientem evolvere proposueram: Nunc tamen pauca adjiciam, pace tanti viri, ut quibus adductis argumentis, suam istam conclusionem elicuerit, intelligatur. Primo, verba Apostoli, non est servituti subiectus frater vel soror in hujusmodi, id est, inquit Beza quum quipiam bujusmodi incidit. Servitutis enim nomine nihil aliud quam conjugii obligationem commode possit intelligere. Hæc ita quidem sibi sumit, sed non probat, neque id etiam conceditur. οὐ τοῖς τοις τοις, nimirum πρώτων, in bujusmodi, sive in talibus per articulum τοῖς definitis, non plenè, ut vult Beza, ab omni obligatione conjugii liberatus est frater vel soror, desertus ab Infideli conjugé, sed tantum in talibus, ut id à Paulo determinatur, scilicet, in quibus pietas offenditur, obsequendo vel parendo conjugi Infideli, quia Deo potius est parendum quam hominibus; remanet ergo conjugii oblitus.

T 5

obligatio, in Ceteris conjugum officiis, quibus Dei cultus non kreditur.

*Deinde*, ambiguè omnino dicitur, nihil aliud quam conjugii obligationem, commode posse intelligi, servitutis nomine. Sit ita, verum ab ea servitute non liberatur fidelis desertus absolute & generaliter in omnibus, sed restrictè in talibus, remanente scilicet in ceteris conjugii obligatione: Ut videatur istud adjectum vocabulum, commode, indicare, hunc unum esse locorum, in quibus sibi ipsi non satisfecit, dum per conjugii obligationem, cui non est fidelis obnoxius discedente Infidelis, intelligit Beza, obligationem priorsus omnem, ipsum etiam adeo matrimonii vinculum, quum tamen ea libertas ad ea quæ sunt busmodi vel talia, ab Apostolo restringatur.

### §. V.

Quum autem sibi etiam illud objiciat, quod nomine servitutis intelligi possint varia vel uxorius vel mariti officia, que præstare persona fidelis deserta non teneatur . . . . . Respondet, merum hoc esse commentum, quum generali nomine servitutis usus sit Apostolus, id velle excipi quod penne unum meretur servitutis nomen, nempe quod qui est in conjugio, non sit corporis sui Dominus. Quomodo, inquam, id merum commentum vocari potest, quod a nemine ignoratur, esse plura & varia vel uxorius, vel mariti diversa officia, & varia etiam ac diversa obsequiorum mutuo-

mutuorum genera? Quomodo & quo nexu  
 generale servitutis nomen, quod tot varias,  
 in se species complectitur, ad omnia conju-  
 gii jura, adeoque & ad matrimonii vinculum  
 extenditur, quum a Paulo ad *talia*, quæ odio  
 Religionis veræ, & amore Gentilis cultus  
 exiguntur, disertis verbis restringatur? sed  
 & iterum hic Beza hæstavisse, verbum pe-  
 nè, significare videtur. Idque forte etiam cui-  
 piam erit admirandum, servitutem istam con-  
 jugum, pene ad istud restringi, *quod qui est in*  
*conjugio non sit corporis sui Dominus*, quum ta-  
 men dicatur fidelis non esse servituti subjectus  
 in rebus *bujusmodi*, *ἐν τοῖς τούτοις*, cum arti-  
 culo ea designante, in quibus non est servi-  
 tuti subjectus, id est, parere infideli non te-  
 neatur. Hæc ea sunt principia, unde illa  
 quæ supra posita est collectio deducitur; qua-  
 si vero in contentiosorum numerum ullo ju-  
 re referri quispiam debeat, quia quum dicatur  
 à Paulo frater vel soror servituti non subjici, arbi-  
 tratur Beza, intelligi abruptum esse omne conjugali  
 obligationis vinculum quum Apostolus diserte  
 servituti non subjici in talibus sive in *bujusmodi*, ad  
 ista *talia* sive *bujusmodi* negotia, de quibus agit,  
 hanc fidelis tantum libertatem & unice refe-  
 rat; nequaquam vero ad OMNE conjugalis  
 obligationis vinculum; neque enim sinunt Logi-  
 ci a singulari transire ad universale conclu-  
 dendum, neque si in iis quæ DEI mandato  
 repugnant, sive Conjugi, sive Principi, sive  
 cuivis

civis Magistratui non tenearis obsequi, quum  
*in talibus servituti non subjiciaris, te propter-*  
*ea omni erga eos obligationis vinculo esse*  
*absolutum, quum in ceteris omnibus quæ le-*  
*ges jubent, tu cum bonis omnibus civibus*  
*& conjugibus tenearis.* Et hic velim ut de  
*Apostolis & sanctis Christi Martyribus recor-*  
*deris, qui & Deo parere & legibus, & offi-*  
*cia erga DEum & erga homines quosvis im-*  
*plere, tum præceptis tum exemplo sua do-*  
*cuerunt. Quamobrem etiamsi, teste Apostolo,*  
*desertus non est servituti obnoxius, nequa-*  
*quam consequitur à lege alterius, ut idem Paulus*  
*ibidem loquitur (1 Cor. VIII, 39.) id est, ab omni*  
*eo jure quo persona desertrix eum obstrictum tenebat,*  
*liberatum esse.* Nam et si liber est à servitute  
*parendi aut obsequendi, contra Dei præcepta,*  
*non inde sequitur, à lege alterius, ut viro*  
*mortuo libera est conjux à lege viri, de quo*  
*est locus (1 Cor. VII, 39.) à nostra qua-*  
*stione alienus, id est, ab omni eo jure quo*  
*persona desertrix eum obstrictum tenebat, esse li-*  
*beratum.* Qui enim ab aliquo liberatus est,  
*propterea non est ab omni jure liberatus, im-*  
*mo si quispiam ita velit & ausit, à nullo alio*  
*est liberatus: quia hæc lex supra omnes &*  
*ante omnes & contra omnes hominum leges,*  
*omnes homines ligat, quia Deo potius paren-*  
*dum est quam hominibus, quando leges Dei*  
*& hominum sibi invicem opponuntur; unde*  
*sequitur non tum primum cœpisse fidelem*  
*deser-*

desertum non esse obnoxium servituti in talibus infideli deserenti, sed ab omni ævo eam supremam legem obtinuisse, quæ nunquam abrogari queat, quæque hoc loco à Paulo in memoratur. In ceteris vero obseruentur æquaæ legislatorum leges; ac nisi te conjux infidelis à pietate & cultu Dei dimoveat, præsta ei quodcumque debes obsequium conjugale. Quare non recte additur, *quod si liber est, ergo solutum est vinculum.* Eadem enim iterum chorda oberramus non est servituti subjectus in ejusmodi, id est, non tenetur obsequi infideli Conjugi, Deorum cultum exigenti, sed non ideo solutum est matrimonii vinculum, cum alia plura supersint conjugum officia, in quibus infideli conjugi obsequi debeat, ex lege more & consuetudine, ut decet & par est, neque enim natura & forma matrimonii, aut vinculi ejus solutio in hac vel illa vera aut falsa Religione, ejusque observatione vel neglectu posita est. Parensum est & obsequendum Conjugi, in genere dicitur, ut arma sunt tradenda Domino, attamen non furioso, parensum igitur Conjugi, sed non prava imperanti.

### §. VI.

His ita sublati, sublatus quoque est nexus cum illis Bezæ, quæ sequuntur in ista interrogatione, *cur igitur si continere non potest, matrimonii remedio, contra doctrinam Apostoli privabitur, modo nubat in Domino?* Nam enervatis pri-  
mis,

mis, cadere simul quoque hanc conclusionem oportet, quæ istis principiis & fulcimentis innitebatur. Quin potius utatur fidelis ab infidele desertus, eodem remedio, quod fidelis infidelem deserenti præscribitur, *ut extra conjugium manens suam crucem ferat.* De Rep. & Div. p. 97. Et paulò post fidelis autem petat donum, quod non habet, & impetrabit. *Est enim ei crux illa à Domino imposta, qui vetat homines disjungere quod ipse conjunxit, nec tamen sinet suos supra vires tentari; si modo vigilent, & precentur.* Num quid DEO est difficilius suis desertis ab infideli id donum potentibus dare, quam suis alijs fideles deserentibus; vel an hi qui nihil peccarunt dum ab alio nulla sua culpa, odio fidei deserti fuerunt, minus ista gratia Divina digni judicabuntur, ut eam precibus impetrare nequeant, quam isti alteri qui sua culpa, contra Apostoli disertum mandatum, infidelem conjugem secum habitare volentem deseruerunt.

### §. VII.

Unum superest documentum, unde fortasse appareat, quantum Beza ad Domini verba respexerit, quantumque laboraverit, ut ea, si fieri id possit, cum ista sua verborum expositione, qua contendit, solutum esse matrimonii vinculum, per desertionem, conciliaret. „Octavo loco inquit Beza, negant „addendum esse quicquam ad verbum Domini „ni;

„ni: Dominum vero disertis verbis divortia  
„extra fornificationis causam damnasse. Ego  
„vero concedo nihil verbo Domini adjicien-  
„dum esse, sed præterquam quod Pauli ver-  
„ba sunt Domini verba, quum Paulus hæc  
„scribens spiritum Dei habuerit, nec sane no-  
„stra defensione egeat: ad ea quæ jam an-  
„tea pluribus respondi, hoc quoque adjicio,  
„quod magnopere videtur in hoc argumen-  
„to considerandum, nempe Apostolum nul-  
„lam novam divortii caussam verbis illis si-  
„gnificare, ex qua liceat matrimonium di-  
„rimere, ac proinde Christi verbis nihil ad-  
„jicere. Quærentibus enim Corinthiis an  
„propter infidelitatem liceat divortium fa-  
„cere, respondet non licere. Itaque in eo  
„quod subjicitur de desertione, non est quæ-  
„stio de divortio faciendo, sed illud quæri-  
„tur, an post divortium illegitime factum ab  
„infideli, liceat consulere fidelis conscientiæ.  
„Tantum abest igitur, ut in hac specie aga-  
„tur de repudianda uxore, vel dimittendo  
„marito, sicut in causa adulterii: ut contra  
„deserta persona se deserter conqueratur, & de-  
„sertricem repeatat quantum in se est. Itaque  
„si coram magistratu Christiano ejusmodi  
„caussa ageretur, nullus esset divortio locus,  
„quoniam secundum personam desertam ju-  
„dicaretur, & justa vi adigeretur desertrix  
„persona debitum reddere. Quod si desertrix  
„persona nulla ratione possit ad mutuam con-

„jun.

„junctionem repetendam adduci, negat  
 „Apostolus oportere innocehitem luere no-  
 „centis culpam. Dicam apertius. Ob solam  
 „adulterii causam (sicut expresse testatus est  
 „filius Dei) licet divortium petere & facere.  
 „Quid si igitur infidelis fidelem deserat? im-  
 „putetur infideli, (inquit Apostolus) qui sa-  
 „ne adulter est si cum alia persona confuescat,  
 „nedum ut legitime divertat. Interea vero  
 „æquum est ut fideli innocentì consulatur,  
 „quo possit vitam tranquilla conscientia trans-  
 „igere. Ex hoc efficitur Apostolum non fa-  
 „cere jus dirimeri propter infidelitatem  
 „matrimonii, sed hoc tantum dicere, deser-  
 „tionis culpam residere penes deserentem, &  
 „esse interea desertæ personæ consulendum.

### §. VIII.

Si ex istis de vera & certa Bezzæ sententia  
 nobis est judicandum, ut in quibus se aper-  
 tius quid sentiat dicere testatur, vel subtilio-  
 ra, vel fortasse obscuriora ea videbuntur,  
 quam ut commode conciliari possint cum ejus  
 altera sententia, qua protulit, duobus mo-  
 dis auctore D E O in ejus verbo conjugia di-  
 remta censeri Adulterio & Desertione quam-  
 vis diversa quadam ratione, quæ distinctio  
 valde subtilis videtur vel etiam obscura. Duo  
 autem tenet, primo Paulum nihil verbis Do-  
 mini adjecisse, alterum, ob solam adulterii caus-  
 sam licere divortium petere & facere; quia id te-  
 status

status est expresse filius Dei. Nonne igitur  
 per hanc solam causam divorpii legitimam,  
 quæcunque alia excluditur, e numero cau-  
 sarum divorpii legitimarum, adeoque desertio  
 tam hujus partis quam alterius, quæ fiet sine  
 adulterio? Ita quidem sequi videtur. Quid  
 si infidelis fidelem, extra hanc solam causam  
 deserat? Imputetur ipse; hoc nemo negaverit,  
 neque de eo ambigitur, ejus solius haec de-  
 sertio est delictum, ipse solus culpam piabit;  
 qui sane adulter est si cum alia persona consuecat,  
 neque de hoc ambigitur, adulterio vinculum  
 omne tandem erit solutum, nedum ut legitimè  
 divertat, non erat ergo legitimum, ex verbo  
 DEI, divorpium, extra causam adulterii, de-  
 sertione infidelis factum, adeoque de jure di-  
 vino, prorsus nullum: quia leges hominum  
 non accipimus. Interea vero æquum est ut fidelis  
 innocentia consulatur. Quid hic ex æquo opinabimur,  
 quum ex solo verbo DEI est decer-  
 nendum? ubi nullum est divorpium, quoniam  
 Infidelis legitime, sive ex causa adulterii, non  
 divertit. Neque deserto, neque deserenti  
 licet cum alio contuescere, nisi velit esse adul-  
 ter: quo possit vitam tranquilla conscientia trans-  
 igere, ferat hanc crucem, oret & impetrabit,  
 quia Deus non sinit suos supra vires tentari.  
 Vel enim desertio fecit legitimum divorpium,  
 vel non fecit; sed non fecit, nam id queri-  
 tur, an post divorpium illegitime factum ab infideli,  
 liceat consulere fidelis conscientiae. Liceatne cui-

Tom. I. P. III.

U

quam

quam illegitimè factum divorcium, ita reputare ut sit legitimū, quia licet, & sit tamen simul illegitimum quia est factum contra verbum Dei. Et quomodo consuletur fidelis conscientiæ, si non soluto matrimonii vinculo, cum alia fidelis consuescat, violato DEI mandato, ac se se adeo turpi polluat adulterio. Hæc sane non tantum valde obscura videntur, sed omnino pugnantia, immo nefaria; tantum abest ut ista via per apertum, ex lege DEI, adulterium, quia ob solam adulterii causam, licet divorcium petere & facere, adeoque tum primum legitime ad alteras nuptias transire, qua sit, ut non admirer, sibi ipsi in tantis & talibus molestiis Bezam non satisfecisse.

### §. IX.

Pergit porrò, ex his efficitur Apostolum non facere jus dirimendi propter infidelitatem matrimonii. Ita est, ita profecto est, id negavit, ubi jussit permanere cum infideli conjugе. Sed hoc tantum dicere, desertionis culpam residere penes deserentem. Si id non dixit disertis verbis, id tamen insinuavit. Et esse interea deserte personæ consulendum. Quis hæc clare & aperte explicuerit ex verbis Apostoli? Estne id apertius dicere? Quo nos ducet istud interea, quod etiam exstat superius, eritne illud referendum ad temporis intervallum, quod illegitimum delictionem fecutum est, quando nondum erat ruptum matrimonii vinculum & spera-

sperari poterat & debebat reconciliatio? Et quomodo consulendum, an consiliis, ut crucem ferat? Sed ista via non ducis ad alterum coniugem, & recte facis. An cum alio consuecerit, nonrupto matrimonii vinculo? Sed ita fier adultera, neque ei benè consuletur, non enim ex adulterio ut solā legitimā causā potest divortium petere & facere. Hęc tamen Bezae animi lenitas mitisque sententia, qua consulendum putavit fideli deserto ab Infideli desrente, severitati quam præscribit fideli à fideli deserto repugnare videtur. Ubi enim sævo & terribili atque insanibili furore laborantem repudiari posse, & ad novas nuptias a benè sano transiri, adeoque furorem ut divortii causam attulerunt Jureconsulti, id omnino Beza repudiavit De Rep. & Div. p. 102. At non potest, inquires, furentis consuetudine frui, & tenetur gignendorum liberorum desiderio. Concedo utrumque; sed si valeret bac ratio, quo tandem esset progrediendum? Itaque frenandum est hoc desiderium, & (quod mirum non est Ulpiano suisse incomptum) statuere debet qui sic exercetur, sese ad ccelibatum vocari, tantisper dum a Domino libereretur. Et statim, decere nos omnia tum prospera tum adversa ex ipsis (Dei) manu accepta fortiter ferre, quod certe non facit, qui remedia querit extra ipsius verbum. Deinde De Rep. & Div. pag. 106. ubi nonnulli volebant Elephantiasis dirimi matrimonium idem Beza iterum, sed quid si alter uratur, vel etiam neuter habet con-

tinentie donum? Petat uterque & precibus pugnet.  
 Verum an obtinebit? obtinebit certe ut temptationem  
 vincat, nisi per eum sterterit, quoniam in fide pre-  
 bitur. Certum enim est eum ad continentiam vo-  
 cari, cui per Dominum objicitur impedimentum, quo  
 minus ordinario adversus unctionem remedio uti possit:  
 alioqui quid infinitis hominibus siet plurimas alias  
 ob causas in nibilo minorem difficultatem redactis?  
 qualia passim Beza inculcat, quando agit de  
 fidelis discessione a fideli, quæ Bezæ non est li-  
 cita; Ep. X. unde & de Rep. & Div. p. 97. Inno-  
 centi, inquit, in precibus perseverandum quæ si ex  
 fide siant (quum Dominus suos in temptationibus non  
 deserat) irrite esse non possunt. Ac post pauca,  
 innocens vero statuat interea se ad cœlibatum vo-  
 cari, & in fide petat victoriam ab eo, qui supra  
 vires tentari suos non finit. Matrimonium vero ob  
 eam causam dirimendum, quum utraque persona est  
 in Ecclesiæ potestate, in verbo Dei non invenio.  
 Quare si Bezam audiamus fideli, fas non est a  
 fideli conjuge discedere, at si Infidelis a fideli  
 discedat, etiam non violato per adulterium  
 jure matrimonii, fideli deserto novæ nuptiæ  
 concedentur. Quæ distinctio inter fidelem  
 a fideli desertum, cui non licet ad novas nu-  
 ptias transire, & inter fidelem ab Infideli de-  
 fertum, cui liceat, nimiâ subtilitate laborare  
 videtur. Igitur, secundum Bezam, fideli  
 a fideli deserto, sive ex furore, sive ex Ele-  
 phantiasi, gravique alia quapiam de causâ,  
 nequaquam liceat novas nuptias contrahere  
 sed

sed ei crux est ferenda: at vero fideli ab infideli propter Religionem deserto, non tamen violata fide matrimonii, novae nuptiae conceduntur, ut fideli videlicet consulatur, ejusque conscientiae, remedio adversus unctionem ordinario. Quodsi, inter fidelem & infidelem initum matrimonium non minus est justum & legitimum, atque inter fidelem utrumque conjugem, quia DEUS conjunxit, quos homo separare non potest, extra causam adulterii; ubi fidelis ab infidele deseritur, difficile est profecto videre quam ob causam non aequa, in ista tentatione toleranda & superanda, fidelis desertus exspectare debeat suis precibus a Deo victoriam, ac desertus fidelis ubi a fidei conjuge fuit desertus, neque etiam quare minus qui fuit ab infidele desertus mandare debeat *aymos*, ac si a fidei fuisse desertus. An fidelis alicuius alterius fidelis, sine iusta causa desertio, plus virtutis pilis deserti precibus dabit, ut continentiae donum facilius impetrat a Deo, quam si desertor fuerit infidelis? An minor est in pari tentatione, desertor fidei qui uritur Victoriae necessitas, si desertor est infidelis, quam fidei conjuge fidelem deserente? ubi ait Beza, Deum *supra vires suos tentari non sinere*. An minus sui sunt fideles, qui ab infidelibus deseruntur, quam qui a fidelibus, ut primi a Deo non audiantur, sed in tentatione derelinquantur, sitque eis opus contra unctionem remedio, deserti

U 3

vero

vero a fidelibus audiantur, donumque continentiae precibus obtineant? An alia est forma desertionis fidelis deserentis fidelem, quam desertionis infidelis deserentis fidelem, ut priorem illam fidelis desertus patienter ferat, maneatque & manere *αγαπει* teneatur, posteriorum vero idem fidelis sustinere neque possit neque teneatur, sed ad alteras ei nuptias omnino sit *κείτον* transire? Nonne tandem quavis desertio vel solvit matrimonium vel non solvit? & si infidelis desertio, illud prorsus solvit, ut nubere alteri queat, cedo, dic causam cur fidelis desertio idem non efficiat; vel si Fidelis desertio vinculum non rumpit, ostende quomodo hunc effectum infidelis desertio producat; quum tamen neque hujus *τύπος* neque illius *αριστερά* quicquam conferant ad naturam & formam matrimonii definendam; neque adeo ad ejus vinculum dissolvendum, quum æque justa, rata & legitima sint conjugia paria fidelium inter se, atque imparia infidelium & fidelium, ex Pauli doctrina. Quemadmodum in Evangelio docemur, post datum quavis ex causa divorcii libellum, id est, non justa ex causa coram Deo aut in foro conscientiae, dimissa uxore in foro civili, remanere tamen dimissam, justam illius qui dimisit uxorem, nequaquam diremto, ex verbo Christi, matrimonio, ut si illam quispiam, etsi a viro ejectam, duxerit, committat adulterium, quippe qui alienam justam

justam uxorem ducat: Quidni idem affirmemus de Infidelis uxore fideli, a marito extra caussam adulterii ejecta, permanere illam ejus qui ejecerat justam uxorem, siquidem una tantum divorpii caussa sit legitima, ex verbo Dei, neque omnino fingi aut cogitari queat fidem esse divorpii justam causam faciendo, non magis quam aliam quamvis in foro Juðorum causam, ex usu & more inveterato. Dum enim desertor non est factus alterius caro, pendet & est speranda conjugum reconciliatio.

Ut tandem expediam exitum hujus instituta ex exercitationis, apponam verba Theologi consummatissimi Johannis Marckii deprompta ex ejus exercitationibus miscellaneis, sive fasciculo selectarum disputationum pag. 328.  
 „Præcipuum scilicet quod novo conjugio  
 „partis desertæ obstet, est expressa & repe-  
 „tita Christi vox. “ Matth. V, 32. Ego vero  
 dico vobis, quod quicumque dimiserit uxorem suam,  
 præter causam fornicationis, facit IPSAM MOECHA-  
 RI; & quicunque DIMISSAM DUXERIT, MOECHA-  
 TUR Matth. XIX, 9. dico autem vobis, quod qui-  
 cumque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem &  
 duxerit aliam, mœchatur, ET QUI DUXERIT DIMIS-  
 SAM MOECHATUR. „Quo pæto casus dereli-  
 cionis malitiosæ clarus potuerit nominari,  
 „non capio; si quidem derelicta hic describi-  
 tur uxor præter causam legitimam, quæ sola  
 „est uxor scortatio, adeoque injuste. Hacte-  
 nus ille. Quæ satis cum Origenis doctri-

na convenient dicens C. De carne T. 3 p. 649.  
 B. ἀσπερ δὲ μοιχαλίς ἐστι γυνὴ, καν δοκεῖ γαμέειν αὐτήν, ἔτι ζῶντος τῆς προτέρης ἡτοι καὶ αὐτῆς δοκεῖ γενεῖν αἰπολελυμένην, ἢ γυμνήν, κατὰ τὸν μὲν τῆς σωτῆρος ἡμῶν αἴποφασιν, ὅσον μοιχεύει. Quemadmodum autem adultera est uxor, etiam si viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo, ita οὐ virum repudiata duxisse visum, non tam ipsius maritum, quam adulterum esse dicendum, a servatore nostra demonstratum est. Sive secundum Veterem Interpretationem, qua enim ratione adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur viro vivente; eadem ratione οὐ vir, quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime secundum sententiam Christi, sed magis mœchatur, quasi alienam accipiens.



I V.  
CONRADI IKENII  
DISQUISITIO  
HISTORICO-PHILOLOGICA  
OPPOSITA  
VIRI PLUR. REV.  
GOTTLOB FRIDERICI GUDII  
DISSERTATIONI  
HISTORICO - CRITICAE  
DE  
SADDUCEORUM IN JUDAICA  
GENTE AUCTORITATE.

PROOEMIUM.

**N**unquam cogitassem, cum ante aliquot annos dissertationem DE TEMPORE CELEBRATÆ A SERVATORE ULTIMÆ COENÆ PASCHALIS, publici juris facerem, inde mihi aliquando occasio nem suppeditatum iri, in *Sadduceorum*  
U s in

*in gente iudaica auctoritatem*, proprius inquirendi. Id tamen nunc effecit GOTTLLOB FRIDERICUS GUDIUS, cœnæ paschalis ~~sanguinis~~ à Christo celebratæ nondum planè acquiescens oppugnator. Cùm enim post adstructam priori illâ Dissertatione sententiam meam, quâ eam integro die ante paschales epulas magnæ partis Judæorum, astam esse, evincere conabar, cogerer & ad dubia ab aliis moveri solita respondere, huic rei alteram dissertationem, in duas partes distinctam, impendi: cuius priori, solutiones ab aliis quidem datas sed mihi minus sufficientes visas, sub examen revocans, cur in illis acquiescere non possem submonui, tum verò meam subjunxi, ex discriminine, quod in determinando primo mensis die inter Scripturarios & Traditionarios intercedit, desumptum unde factum fit, ut illi Pascha suum uno imò aliquando & duobus diebus citius his celebrent; quam sententiam dein parte si cunctâ stabilire, & ab exceptionibus vindicare annis sum. Inter sententias, quas ut minus sufficientes modestè refutavi, erat in primis illa quæ ultimam Servatoris cœnam paschalem fuisse planè negat, quam-

quam cùm post alios Viros Doctos Rev.  
G U D I U S om̄ ium recentissimè &  
diligentissimè peculiari *Dissertatione  
Hermeneuticâ Lipsiae* 1733. editâ adstrue-  
re conatus esset, hujus præcipue ductum  
atque ordinem in refutatione secutus  
sum, unde is post aliquod tempus A.  
1742. Demonstrationem hanc recudi cu-  
rans, sententiam suam ab objectionibus  
meis liberare studuit meamque simul à  
discrimine inter *Scripturarios* & *Rabba-  
nitas* neomeniam figendi, quibusdam  
argumentis impetiit. Verū opposui  
illi mox eodem anno Dissertationem,  
quā & responsiones ejus pondere desti-  
tui, & dubia ab ipso mota nullius mo-  
menti esse ostendi. In hoc statu res in-  
de ab illo tempore mansit, & quemad-  
modum Rev. GUDIUS scribit se quæ in-  
ter nos disputata sunt Lectorum arbit-  
rio relinquere constituisse, ita ego ut  
idem facerem, tantò graviores rationes  
habui, quò magis, summi in Rep. lite-  
rariâ Viri, quosque ipse, ut certò scio,  
Rev. GUDIUS ut præcipua Ecclesiæ  
Evangelico-Lutheranæ decora venera-  
bitur, mihi per literas testati sunt, facilio-  
rem omnes difficultates tollendi viam,  
quām

quām à me factum esset, (absit arrogātia dicto) neminem ostensurum esse. Interim cūm sic satis pugnatum crederem, visum tamen non ita pridem Antagonistæ meo est pugnam, sed aliâ planē ratione instaurare, dum Parti I. Tomi II. Novorum *Miscellaneorum Lipsiensium*, quæ Vir pluribus jam insignibus doctrinæ monumentis inclytus, F. O. Menckenius curat, *Dissertationem Historico-Criticam de Sadduceorum in judaica gente Auctoritate inseruit*, quòd *Sadduceorum* Auctoritate stante aut cadente, meam simul hypothesin stare aut cedere crederet. Cūm autem, ut nuper jam *Symbolarum Literiarum T. I. Parte II.* questus sum, Bibliopolæ nostri citiùs illam *Miscellaneorum* partem huc deferre neglexerint, non nisi ante 3. aut quatuor, cūm maximè, dum hæc scribo, hebdomadas mihi hanc dissertationem oculis usurpare licuit, unde non ægrè feret, quòd præter morem meum illi responsum tantisper debeam.

## §. I.

**A**d hoc igitur dum me accingo, nonnulla in antecessum præmonenda habeo; & i. quidem non hanc fuisse controversiam inter nos.

nos agitatam, sed potius utrum *Servatoris ultima Cœna paschalis fuerit necne?* quorum posterius GUDIUS afferuit, ego verò prius argumentis, hactenus quidem nondum enervatis, nec ut credo, tam facile enervandis, demonstravi. Cum autem ad diluendas difficultates contra hanc sententiam moveri solitas, existimave-  
tim, Servatorem cum magna Judæorum par-  
te, quæ nempe rejectis traditionibus Scriptu-  
ram sequebatur, uno die citius traditionariis Pascha suum illo anno comedisse, inter tra-  
ditionum verò hostes *Sadducei* quoque es-  
sent, per accidens inde Vir Doctus questio-  
nem movit de *Sadduceorum inter Judeos auctorita-*  
*tate*, unde simul manifestum facile evadet Gu-  
dii assertum, quod, auctoritate hac stante & ca-  
dente, mea hypothesis simul sit atque eadat,  
infirmo admundum tali niti. Vel enim sub  
hac hypothesi mea comprehendit sententiam  
quam tuitus sum, quod Christi cœna verè pascha-  
lis fuit, vel solum illud assertum, quo diffi-  
cultates adversus illam motas optimè solvi  
posse existimò, quod nempe Christus cum Scri-  
pturariis uno die citius Pascha comederit, quam  
TRADITIONARI. Si prius, erunt Gudii ver-  
ba apertè falsa, quia ad summum tum ratio ad  
tollendas difficultates à me allata non proce-  
deret, ipsa autem nihilominus sententia de  
cœna Christi paschali vera esse posset, quem-  
admodum & alii, qui hac in re idem me-  
cum sentiunt, alias tamen difficultates tollen-.

di

di modos excogitarunt, imò & eorum forte adhuc plures excogitari possent. Si verò posterius, neque sic illa satis procedunt, cùm híc non adeò de *Auditorate* illorum cum quibus Servator pascha comedenter generatim quæstio sit, quām an integrum illis esse potuerit, secundūm suas hypotheses neomeniam uno die citiùs *Rabbanitis* figendi, & per consequens etiam pascha comedendi. Ut taceam ipsum videri posse generaliori hac locutione ipsam causam principalem minus at tento lectori voluisse suspectam reddere.

## §. II.

2. Nescio cur Ven. GUDIUS, *Sadduceorum* nomen híc in fronte collocare, & eodem plerumque uti maluerit, quām *Scripturariorum*, quo ego semper usus sum, nisi forte invidiosiori appellatione præjudicium causæ meæ creare, aut ea confundere aut restringere quæsiverit, quæ in hoc negotio probè distinguenda erant aut latius patent, conf. infr. §. XIV. & XVI. in primis cùm & discrimen illud in *Sadduceos proprietate* & *improprietate* dictos quod comm. I. & IV. attulit, noviter ab ipso & sine idoneis rationibus excogitatum sit, ut statim videbimus. Ceterum & mihi non ingratum erit, si Antiquitatum sacrarum cultores disquisitionem hanc, ut ipse in præloquio sperat, nec inutilem nec superfluam judicabunt, quin potius gaudebunt priorem illam litem, posteriorem hanc sevis-

se,

se, neque hos, quos GUDIUS advocat iudices reformido, quin ut eò placidiùs consideant, totamque causam penitus cognoscant, ipsis lubens pulvinar sternam, nec sententiam illâ, quam ex priori causâ tuli, clementiorem, nisi nimium causæ meæ fidam, exspecto.

¶. III.

Incipit Vir Rev. com. I. ab inauspicio SADDUCEORUM nomine, ubi rectè quidem asserit, illo insignitos fuisse qui mortuorum in vitam redditum negârunt. Scilicet fuit hoc unum ex perniciosis dogmatibus familiâ illius, quæ à ZADOKO, degenere ANTIGONI SOCHÆI discipulo, nata est nomenque accepit v. Matmon, ad Pirke Avoth, cap. I. m. 3. & Bart. ad m. II. Nec malè subjungit TRIGLANDII verbis à me quoque jam laudatis Dissert ipsi oppositæ p. 35. KARÆOS ad invidiam illis conflandam à RABBANITIS eodem nomine peti, videantur & quos eundem in finem laudavi Symbolar. Literar. p. 188. at non æquè rectè procedit, quod hinc SADDUCEOS, ut modo monebam, in proprios & impropriè dictos distinguit, posteriori hac appellatione K A R R Æ O S intelligens, quæ plus uno incommodo laberant.

I. Quis enim non solum unquam ita locutus est, sed & quid iniquius excogitari potest, quam

quām illos qui nihil cum pestiferis Sadduceo<sup>rum</sup> dogmatibus commune habent, sed tantum æquè ac illi traditiones humanas rejiciunt, non solum eodem nomine insignire, idque quia eorum hostes, id ad invidiam illis conflandam faciunt, de quo tamen ipsi ut gravissimā sibi illatā injuriā, acerbē conqueruntur, sed, quod magis est, ex invidio illo nomine duas classes Sadduceorū facere, atquæ adeò eosdem sub hoc titulo ad commune genus cum illis, quorum errōnea dogmata detestantur, revocare? Notum est PROTESTANTES utriusque partis cum SOCINIANIS traditiones humanas Pontificiorum rejicare, at à periculis eorum erroribus imminentes esse, quid autem iniquius foret, quām si quis inde duas SOCINIANORUM classes faciat, alteratque SOCINIANOS proprios dīcos appelleat, qui pestilentissimos errores fovent, alteram autem, cui nomen SOCIANORUM impropre dictorum tribuat (Protestantes intelligens) humanarū non nisi traditionum (ut cum Gudio loquar) oſores, complere statuat? Confer, B. L. dicta & videbis non ovum ovo magis simile esse quām hæc duo sibi invicem sunt.

2. Inprimis mirum est Gudium KARÆIS (ut ipse scribere amat) SADDUCEORUM nō men dare, horumque geminam classem tacere, ad quarum unam KARÆOS referat, sicque illos, & proprios dictos SADDU. CÆOS

CÆOS ut species sub communi SADDU. CÆORUM genere comprehendere, cum uno statim halitu com. II. SADDUCÆOS non obscure progeniem KARRÆORUM, siveque speciem genere suo antiquorem faciat, conf. & com. IV. quod quo pacto à parachronismo aut contradictione liberari queat, non satis intelligo. Saltem si id in illis etiam ferri posset, qui *Karræos* diu post *Sadducæos*, aliquot inde à Christo nato seculis defnum ortos volunt, admissâ tamen hypothesis, quod *Sadducæi* ex *Karræis* orti, naturalis ordo magis flagitaret, ut si ex his præmissis, unum genus formandum, potius KARRÆI duplicitis classis, quarum una KARRÆIS propriè dictis, altera SADDUCÆIS constituerit, fabricandi forent. Interim gaudeo saltem priorem nostram litem id jam perisse, ut Rev. *Gudius*, qui antea adhuc dubius erat, utrum *Karræi* jam Christo in terris versante fuerint, vid. Demonstrat. recusæ p. 24. nunc eos, ut par est, antiquiores fuisse ultrò agnoscat. Qui enim SADDUCÆOS KARRÆORUM progeniem facit, & SADDUCÆOS Christi atate jam fuisse docet, KARRÆOS antea extitisse, necessariò fateri debet.

§. IV.

Verum quod vix unâ manu largitus est, inox alterâ ferè retrahere, quin & semel iterumque incertus fluctuare, videtur §. III. & Tom. I. p. III.

X

seqq.

seqq. Primum enim KARRÆOS tangit, qui  
in AEGYPTI, RUSSIÆ, LITHUANIAE &  
POLONIAE angulis hodiè latentes, natalium  
suorum antiquitatem vindicent, majoresque suos  
PHARISÆORUM *five* RABBANITAKUM, conatibus se  
jam opposuisse glorientur; Quamvis, scriptorum sa-  
crorum & JOSEPHI silentio induiti, natalium illo-  
rum antiquitatem dubiam reddant viri non insima-  
cavee, quem in finem ad JOH. MORINUM  
in notis provocat. Verum ignoscet Rev.  
Gudius, quod fateri cogar, me planè non  
intelligere quorūm hæ & commatibus sequen-  
tibus occurrentes declamatoriae, & incertis  
fluctuationibus plenæ locutiones faciant, qui-  
bus mox aliorum sententias adducit, mox il-  
lis subscribere, mox quod ante concesserat  
iterum negare, aut nova contra eadem du-  
bia movere videtur, nisi forte sibi ipsi minus  
constet, aut saltem querat, ut Lector incer-  
tus reddatur, nec quæ ex concessis oriuntur  
sequelæ satis perspiciat. Præstaret sanè ro-  
tundo ore vel remotiorem illam Karræorum  
antiquitatem agnoscere, quo illa in ulteriori  
disputatione tutò supponi, & quod inde cla-  
rè sequitur, pro certo adfirmari posset, vel  
eandem apertè negare aut in dubium vocare,  
ejusdemque certiorem confirmationem exi-  
gere. Quod ultimum tamen ipsi Gudio mi-  
nus aptum visum esse credo, postquam Dis-  
sertat. p. 3. & seq. indubiis argumentis & in-  
primis tam Karræorum testimonio atque certis-  
simæ

simâ ab illis deductâ Doctorum suorum serie  
 historicâ, quâm ipsorum Rabbanitarum con-  
 sensu, contra MORINUM evici, illos jam  
 sub templo II. fuisse. At cùm contra hæc ne  
 hiscere quidem ausus sit, tantò minus si soli-  
 dè & candidè progredi vellet postliminiò de-  
 beret, licet in solum Morinum digitum inten-  
 dat, provocare ad *Viros non infimæ caveæ, qui*  
*natalium illorum antiquitatem dubiam reddiderint.*  
 Quid enim hoc est, quâm illo, quod nega-  
 re tamen non audes, denuò Lectori præju-  
 dicium & scrupulum injicere? Quod subjun-  
 git TRIGLANDIUM præente DRUSIO per-  
 suadere nobis fategisse per *vopinxos* in *historiâ N. F.*  
*KARÆOS* indigitari, seque ut in notis addit,  
 etiam deceptum ejus exemplo eidem errori subscripsi-  
 se in *Demonstr. Hermen.* p. 24. in eo, gaudeo  
 quod *Dissertat. Anti-Gudian.* p. 43; monui ef-  
 fectu non caruisse, quod nempe licet *Triglandius*  
 id monuerit, inde tamen minime sequatur id certum  
 atque indubium esse. Hinc verò jam, quod ex  
 hoc *Triglandii* asserto deducere volebat, De-  
 monstr. loco adducto ultrò corruist. Licet au-  
 tem candorem in eo prodat, quod rectius  
 edoctus sententiam mutare non detrectet,  
 mutationis tamen hujus causa, quâm adfert,  
 non satis certa est, quia nempe *vopinxos* vel  
*γεαμπαλεῖς* ex *PHARISÆORUM* partibus stetis-  
 se seu τὸν μέγε τὸν Φαρισαῖον fuisse dicantur,  
 Act. XXIII, 9. neque enim illic vox *vopinxos*  
 sed *γεαμπαλεῖς* occurrit, neque haec tenus omni

dubio caret, quod *vōmīnōi* & *γεαμματēi* idem fuerint. Certius autem id ex Matth. XXII,  
 35 coll. 34. & 41. ubi unus Pharisaeorum *vōmīnōs* fuisset dicitur, adstrui potuisset. Denique quod in not. consert *μέρος* dici *hominem* ad hunc vel illum cœtum referendum, ad loci illius Act. Apostol. illustrationem non magnopere facit, non enim illic dicitur *ὅτι γεαμματēi τὸ μέρος τῶν Φαρισαίων* vel *ὅτι μέρος τῶν Φαρισαίων συτεῖς*, sed *ὅτι γεαμματēi τῆ μέρους τῶν Φαρισαίων* Scribae (qui) ex parte Pharisaeorum (erant) quæ non parum differre græcè docti norunt. Verum hoc *as* ēv παρόδω!

## §. V.

Commate IV. & V. Gudius iterum mirè fluctuat, omnia miscet & ubique querit an non aliquid in causæ suæ præsidium invenire queat. Huc facit quod statim §. IV. non negat ex quo divina instituta migrare, vel inventa sua iis equiparare ausi fuerint PHARISÆI, ejusmodi homines semper existisse, qui PHARISÆORUM audaciam reprobarint: utrum verò à SADDUCÆIS, propriè sic dictis, separati, peculiarem sēctam omni & eo constituerint, de eo superesse dubitandi locum, quia licet antiquitatem crepent, Scriptorum tamen SACRORUM & JOSEPHI silentium illorum testimoniis non parum fidei admant. Verum utrum sectæ nomen gesserint, aut eo cum maximè appellandi veniant, mea parum refert, dummodo sub templo II. existisse & à Sadducæis propriè sic dictis distinctos fuisse, ut ipse Gudius non ob-

obscure fassus est, & ego indubiis argumentis propriis ostendi vid. com. præced. constet. Neque obest objectum ab eodem Scriptorum sacrorum & Josephi silentium. Sunt enim quædam scriptoribus sacris memorata, de quibus Josephus silet, ut *infanticidum Herodis*, *Herodianorum nomen, dimissio rei in festo Paschatis*, &c. Sunt Josepho tacta, de quibus Scriptores sacri planè, aut totidem verbis non loquuntur, ut *septem judices* in unaquaque civitate, *divisio Ju-dæorum in tres Sectas*, aut sigillatim secta ES-SÆORUM. Sunt quæ utrique sicco pede transeunt, de quibus tamen cum ratione dubitare nemo potest, ut *decem otiosi Synagogæ*, innumerorum Doctorum Judaicorum nomina, dicta atque facta. At quis nos certos reddit Scriptores sacros & Josephum illos intactos reliquisse? Quis dixerit sub *Essæis*, Josepho toties memoratis & sub tot aliis nominibus, quorum Scriptores Novi Fæderis mentionem injiciunt, nullos Karœos comprehensos fuisse? Aut quæ difficultas est, si statuatur Karœos, ut qui Doctrinam Majorum solis Vet. Instrumenti libris fultam servarent, sigillatim non commemorari licet eorum qui in nonnullis quidem cum illis faciebant, sed in aliis ab illis diversum sentiebant, sectarum aut Philosophiarum (ut Josephus loquitur) nomine, mentio injiciatur? Certè nihil in his est, quod contradictionem involvat, cumque adeò non obstante, sive vero sive apparente Scriptorum N. T. & Joseph-

sephi silentio, quæ de Karræis sub templo II.  
 jam existentibus & à Sadducæis maximè di-  
 stinctis, tam ab ipsis quam eorundem hosti-  
 bus Rabbanitis traduntur, vera esse queant,  
 nulla sanè ratio est, illa idcirco contra fidem  
 historicam planè negandi aut in dubium vo-  
 candi. Verùm nec ipse GUDIUS huic ra-  
 tiocinationi multum fidere videtur, unde mox  
 aliud sibi Κεντρύγετον quærerit, pergens, conces-  
 so tamen Pharisæis coævos fuisse KARÆOS - - si  
 SADDUCÆOS progeniisse credantur KARÆI; sponte  
 sua sequitur, SADDUCÆOS cum KARÆIS in  
 quibusdam doctrinis & in primis de ratione DEO sa-  
 cra faciendi, PHARISÆIS lites movisse, quandoqui-  
 dem divinam regulam transfilire à KARÆIS &  
 SADDUCÆIS accusabantur. AN VERO EX SCHOLARUM UMBRA IN PUBLICAM LUCEM LITES IL-  
 LÆ PRODIERINT, NON ÄQUE FACILE EST DI-  
 JUDICATH. Verùm tuam fidem, Lector, quid  
 est nodum in scirpo quærere, si hoc non est?  
 Motas esse lites, in primis de ratione DEO  
 saera faciendi, negare nequit. At ne sibi  
 fraudi sint, in scholarum umbram illas rele-  
 gag: Ubi autem id legisti, mi GUDI, aut  
 quis tibi id revelavit, vel an pro auctoritate  
 Karæorum scripta, perlege Rabbanitarum de  
 illis & lite sibi ab iisdem aliisque scripturariis  
 motâ testimonia, quorum ego passim non  
 pauca protuli. Totâ causâ cadam, si vel ver-  
 bulo ejus unquam mentionem injectam in-  
 venias

venias, & non ubique potius deprehendas  
illos testari rotundo ore, quòd majores sui,  
ita se *Phariseis* opposuerint, ut eorum  
præter scripturam S. introducta placita rejici-  
erent, & secundùm solam Legem Mosis cul-  
tum sacrum peragerent, tum verò *Rabbanitas*  
hæc ipsorum facta, non verò quæ in schola-  
rum umbra disputatione, gravissimè reprehendere,  
eosque ut in sapientum placita rebelles  
Legisque oralis contemptores, & procul-  
catores traducere. Qui talia de se & majoribus  
suis profitentur, quibusque ipsi hostes  
idem testimonium perhibent, num sine omni  
fundamento, tantum, quia id tibi ita placet,  
cum ratione dici aut credi poslunt, de tali-  
bus solùm in scholarum umbrâ dimicasse, ipsâ  
tamen praxi, ea quæ tantopere detestabantur,  
secuti esse? Vel an Sacerdos ille, sive  
verè *Sadduceus*, (sive fortè *Karreus*, sed pro-  
more invidiæ conflanda causâ ita dictus) qui in festo tabernaculorum, aquam ex sententiâ  
*Rabbanitarum* in altari libandam ad pedes  
effudit, aut *Baitbosæi* illi quos iidem conque-  
runtur falsos testes conduxisse, vel *Cuthæi*, si-  
ve veri sed cum scripturariis hac in parte sen-  
tientes, sive ita per invidiam quoque appellati,  
quos asserunt ignes alieno tempore in-  
cendisse, quo Novilunium non ex sententiâ  
*Rabbanitarum* sed *Scripturariorum* celebraretur  
(v. Dissertat. meæ Posterior. Pars II. p. 16. 17.  
confer quoque statim §. VI. dicenda) in scho-  
larum

larum tantum umbra hac de re disputarunt; ipsâ autem praxi Rabbanitarum placita sequi voluerunt? Vah quò non amor adoptatæ semel hypotheseos patronos ejus abripit, & quæ non hîc quoque amantes sibi somnia finguunt! Certè si ego docto cuidam Karræo, quales utique inter illos non desunt, talia objicere auderem, vererer, ne me albis dentibus rideret, hasque limitationes in umbrâ cerebri natas esse diceret,

## §. VI.

Verùm ne tamen hæc temerè nimis fixisse videatur, & ut novo simul cuidam argumento meo occurrat, comm. VI. & VII. Ven. GUDIUS concedit quidem, PHARISÆOS impeditre non potuisse, aut voluisse, quò minus summas nonnunquam dignitates consecuti fuerint SADDUCÆI, sed tantam tamen illis potestatem ut à PHARISÆORUM formulâ, ex quâ cultus publicus exercendus erat, illis recedere liceret, ob silentium Scriptorum sacrorum & Josephi, illis abjudicat. Verùm reponimus,

1. Argumentum hoc negativum à silentio Scriptorum sacrorum & Josephi ob rationes §. V. allatas nihil probare,

2. Inprimis quia non desunt aliorum Scriptorum judaicorum id disertè satis asserentium testimonia. Cujus argumenti pondus ut eluderet GUDIUS, miro iterum οὗτοι φυγέτω asserit qui publicam SADDUCÆORUM à PHARISÆIS secessionem defendant, fidem suam alio modo liberare  
non

non posse, quam ad recentiores testes provocando,  
quorum tamen ex verbis potius colligi queat, quid ad  
majorum suorum sententiam fieri debuerit, quam quid  
re ipsa factum sit. Ubi cum fidem Viri Rev.  
in dubium vocare nolim, attentionem tamen  
ejus, aut memoriam atque *angustiarum* deside-  
rare cogor, ita ea quae à me alias plus semel  
dicta sunt, aut dissimulat, aut omittit, aut  
denique mutat. Docui enim Dissert. poster.  
P. I. §. X. & seqq. pag. 16, seqq. productis u-  
triusque partis, tam *Karæorum* quam *Rabba-  
nitarum* testimoniis, omnes antitraditionarios  
**SADDUCÆOS**, quique cum illis faciebant  
**SAMARITANOS**, **BAITHOSÆOS** &  
**KARRÆOS** propriam & à Rabbanitarum  
more distinctam rationem figendi *neomeniam*  
tenuisse, & secundum illam nonnunquam  
quoque diverso ab iisdem die Pascha celebra-  
sse, idemque subjunctis adhuc aliis quibusdam  
locis repetii Part. poster. p. 16. seqq. tandem  
verò additis iterum nonnullis Scriptoribus  
eodem, ne actum agerem, denuò Lectorem  
ablegavi Dissertat. III, seu *Gudio* in primis &  
*Anonymo Hamburgensi* oppositæ p. 34. seqq. Nec  
testimonia tantum produxi ex recentioribus  
(licet illa quoque in re domesticâ sine ratio-  
ne minimè rejicienda sint) sed ex ipso, &  
utroque quidem *Talmude*, quibus disertè asse-  
ritur, illos stante adhuc templo diversam à  
*Rabbanitis* methodum novilunium determi-  
nandi secutos, imo hanc ob causam quoque

X 5

illos

illos non amplius ab his ad testimonium de novâ lunâ admissos, pluresque canones, ut ipsorum praxi obviam iretur, conditos esse, quæ omnia locis adductis, & quò ibidem Lector remittitur, legi possunt. Quâ fronte igitur aut quo jure dici potest, qui Sadduceorum à Pharisæis secessionem defendunt, aliter fidem suam liberare non posse, quâ ad recentiores testes provocando quorum tamen ex verbis potius colligi queat, quid ad majorum suorum sententiam fieri debuerit, quâ quid re ipsâ factum sit? Estne igitur & Talmud, & illud in primis Hierosolymitanum ex recentioribus testibus? Suntne Sadducei & reliqui Anti-traditionarii ex majoribus Rabbanitarum, Doctorum Talmudicorum, Maimonidis, Abarbanelis, aliorumque celebrium Rabbinorum? quos laudavi Auctores. Vel an potest ex illorum &què ac Karœorum verbis potius colligi, quid ad majorum suorum sententiam fieri debuerit, quâ quid re ipsâ factum sit? quando Karrai testantur majores suos stante templo novilunium ex phasi determinasse, & Rabbanite id etiam de reliquis Anti-traditionariis non solum confirmant, sed & addunt, illos operam dedisse, ut & Rabbanitas ad idem faciendum inducerent, eamque ob causam à dicendo bac de re testimonio rejectos, Canonesque adversus illos conditos esse. Vah quâ desperata causa esse debet, ad quam palliandam, talibus inventionibus, dissimulationibus, omissionibus & violentis contorsionibus opus est!

3. Quod

3. Quòd si verum sit, uti ego adstruere conatus sum, neque hactenus ullis idoneis argumentis refutatum à quoquam est, Servatorem cum discipulis, & Scripturariis integro die citius Rabbanitis Pascha suum comedisse, non per omnia, quæ de Scriptorum sacrorum silentio tantopere jactantur, satis certa forent, sed potius ipsi implicitè agnoscerent, Sadducæis (aut rectius Scripturariis) utique potestatem, recedendi à Pharisæorum formulâ non planè denegari posse.

§. VII.

Verùm miris hisce longè adhuc magis mira æquo rerum arbitro videbuntur, quæ comm. VIII. IX. X. XI. sequuntur. Scilicet provocat illuc ad loca Josephi, ubi is testatur: quæcumque ad religionem spectant, supplicationes & sacrificia ex Pharisæorum sententiâ fieri, & vix quicquam ex Sadducæorum sententiâ agi, quoties enim magistratus licet inviti suscipiant, Pharisæorum decretis assentire, ni facerent non ferendos à multitudine. Hinc enim non solum elicit Sadducæos potestatem non habuisse à Pharisæorum in cultu sacro placitis recedendi, sed & cùm ego, ad hanc objectionem jam responderim, nihil ex his Josephi verbis elici posse, quàm quòd ubi res non nisi uno modo peragi poterat (addo nunc, si fortè Gudius mentem meam non satis perceperit, ut in primis in publicis solemnitatibus totius populi nomine peragendis) id locum habuisse;

buisse; ex. gr. in injectione suffitūs in ignem die expiationis, aut libatione aquæ in festo tabernaculorum &c. Aliam autem esse rationem, quando res utroque modo ab utriusque sc̄tæ asseclis peragi potuerit, (atque adeò in sacris privatis aut privato-publicis) ut in hoc argumento, ubi meritò unicuique parti relinqu potuerit, ut suo periculo festum ex suâ sententiâ celebraret, neque alteri partitum in alteram juris fuisse, aut esse potuisse, ut eam in suam sententiam cogere posset, non tantum hanc verborum Josephi à me factam limitationem improbat, sed & parum abesse sub-jungit, quin principium PETERE IKENIUM acusent Lectores, & CIRCULI eundem postulent &c.

Ad quæ respondeo

i. Quod non facilè credam me tam infritos tamque inficetos nocturum esse Lectores, qui sine ullâ ratione aut fundamento me istiusmodi peccati logici sint postulaturi, aut si id omnino facere non erubescant, parum abesse, quin illos cum omnibus qui eadem sentiunt, credam, principia logica non admodum altè imbibisse, & in primis quid sit petitio principii aut circulus planè ignorare. Ita enim appellatur, secundum CLAUBERGIUM, quum probatur idem per idem, idque quum incertum per æquè incertum, aut falsum per æquè falsum? aut ex definitione Principis nostri teculi Philosophi C. WOLFII, si quis ad demonstrandam propositionem aliquam utitur aliā, quæ independenter ab illâ demonstrari nequit. Cum igitur

igitur ego nullam propositionem formaverim, multò minus eam demonstrare annis, aut ad hanc demonstrationem explicatione hac verborum Josephi usus sim, sed ipse mihi potius ex illis verbis objectionem formaverim, eámque per hanc explicationem solvere quæsiverim, dicere quis posset, cui id ita videatur, sibi explicationem non satisfacere, at mihi idcirco petitionem principii aut circulum imputare, nil aliud esset, quam ignorantiam logicam manifestare, suóque adeò semet indicio instar soricis prodere.

2. Quod autem ad rem ipsam attinet, nullam hactenus causam habeo, ab illâ quam dedi verborum Josephi explicatione recedendi, cùm limitationem illam, quam feci, verba hæc non obscurè flagitent.

N Si enim verè in hoc & aliis argumentis fuit dissensus inter Rabbanitas & Scripturarios, neque hic dissensus tantum in speculationibus quibusdam situs fuit, sed maximè in eo, quod agi vel non agi debet, imò si verè res diversis modis acta est, & Scripturarii stante adhuc templo diversâ ratione diversisque diebus novilunium fixerunt, atque adeò non tantum Neomenia solemnia, sed & inde dependens festum Paschatis diversis quoque diebus celebrarunt, ut locis s. præced. adductis, proprius à me evictum est, se- quitur

quitur quod in sacris à singulis personis  
celebrandis, Scripturarii non coacti fu-  
rint Rabbanitarum placitis semet confor-  
mare, sed sua libertate usi sint.

¶ Ipsa Josephi verba hanc limitationem  
clarius arguunt. Dum enim ait, Saddu-  
cæos quoties magistratus gerunt, invitos &  
coactos \* illis quæ Phariseus dicit accedere,  
quia illos ceteroquin populus (in tali nempe  
dignitate) non ferret, ultrò supponit,  
quod extra hunc casum id non facerent:  
atque adeò tam ipsi illi Sadducæi ante-  
quam magistratum susciperent, quam  
omnes ejusdem sectæ qui eundem non  
gererent, aut non appeterent, quin imò  
cum

\* Ita potius verba reddenda sunt, quam quæmadmodum  
fecit Gudius, referens illud *invitos* ad præcedentia,  
quasi *inviti* & *coacti* magistratum susciperint, imò ul-  
timum *coactos*, quia forsitan id sententiaz suæ minus  
convenire videret, planè omittens, atque adeò illa  
vertens nam *quoties magistratus*, licet *inviti* susci-  
piunt, quis enim credat illis invitatis dignitates has  
obtrusas, & quod magis est ad id coactos fuisse? Aut  
à quibus id factum? Num à *Phariseis*? At hi quan-  
tum fieri poterat, illos opprimere, non vero ad di-  
gnitates evenerit quærebant. Num à populo? at is  
eos ferre nolebat, nisi *Phariseorum* placitis subseri-  
berent. Aut quis denique id *Gudio* revelavit? Sa-  
nè neque alibi id docetur, neque Josephi verbis  
continetur, qui si id dicere voluisset, sine dubio di-  
xisset potius, ὅποτε γαρ ἀκουσίως μὲν οὐδὲ κατ'  
ανάγκας ἐπ' ἀρχας παρέβοιεν κ. τ. λ.

cum his omnes præterea Karrei & reliqui Scripturarrii, his quæ Phariseus dicit, non accesserint, sed suo potius more sacra sua peregerint. Quæ cùm ita se habent, quid reliquum est, nisi Josephum afferentem, *omnia in cultu ex Pharisæorum sententia peragi*, & illis quæ alii utriusque partis testantur, & sibi ipsi contradicere velimus, quām ut verba ejus de illis quæ in publico cultu peragebantur, nec nisi unā ratione peragi poterant, loqui credamus? relictâ interim, in aliis, alter sentientibus libertate, sacra sua, eo quo id fas esse censebant modo, celebrandi. Adde, quòd si omnes sine discrimine cogere voluissent, aut potuissent, ut omnes ritus omniāque sine discrimine sacra suis placitis conformarent, concipi nequeat, cur demum Sadduceos ad id, quando ad dignitates evehebantur, invitatos cogerent, neque quo pacto Josephus id dicere potuerit.

Imò ne ipsos quidem Sadduceos omnia sua dogmata mutasse, sed tantum in illis quæ in publico cultu peragenda erant, se accommodasse placitis Pharisæorum, quoniam populus eos ceteroquin non tulisset, indubium est, quia ne quidem, pestilentissimos errores deserebant, quin imò eosdem publicè confiteri, & defendere non erubescerent, ut patet ex dubiis

dubiis de resurrectione mortuorum publicè Servatori motis Matth. XXII, 23. & gravissimis turbis in ipso Synedrio occasione Doctrinæ Pauli de resurrectione mortuorum ortis Act. XXII, 6. seqq.

¶ Ut taceam, quod, ut ex exemplis denuo §. VI. tactis manifestum est, tantum abfuit, ut Sadducæi in dignitatibus publicisque muneribus constituti, multè minus autem reliqui illius Sectæ cum aliis Scripturariis in omnibus externis ritibus Phariseorum placita sequerentur, ut priores etiam ipsos ritus cultus publici, à Phariseis introductos, ubi id fieri aliquâ ratione posset, negligerent, postriores autem illos non solum ipsi minimè sequerentur, sed & impedire quererent, quominus id ab aliis fieret. Sed quid pluribus opus est argumentis? cum

¶ Ipsi Judæi clarè doceant, cujus generis illa sint, in quibus Pharisei coegerint Sadduceos etiam invitatos ad sua placita seunda, quando in Joma cap. I. m. 5. testantur, deputatos Synedrii PONTIFICEM m. instantie die expiationis traditum Senioribus sacerdotum in conclave Astines deduxisse, ibique jurejurando per illum cuius nomen in templo habitaret, adegisse ne quicquam in illis que ipsi præceperant (in cultu publico) mutaret, i. e. ne Sadducaeorum more (sed eoque)

quem Pharisei tradebant modo) in adol-  
lendo suffitu procedere, ut proprius res à  
Maimon. Bartenor. & Jom Thob. ex-  
plicatur. Vides E. L. clarissimè ex hoc  
specimine, res fuisse ad publicum cul-  
tum spectantes, quæque adeò non nisi  
uno modo fieri poterant, in quibus Sad-  
ducæi coacti Phariseis morem gerere.  
Ne autem cui fraudi sit, aut mihi post-  
liminiò quis objiciat, mactationem agni  
*Paschalis*, etiam ad cultum publicum per-  
tinuisse, moneo me híc per cultum pu-  
blicum illas tantum ceremonias intelli-  
gere, quæ non privatorum, sed totius  
populi nomine, peragebantur, quæ-  
que illius generis sunt, ut, quemadmo-  
dum dixi, una pars alteram in illis fer-  
re non posset, sed unius sententiâ ne-  
cessariò prævalere deberet, cùm res  
tantum vel agi vel non agi, aut hoc tan-  
tum vel alio modo, secundùm senten-  
tiā nempe Scripturariorum aut Phariseo-  
rum, agi posset. Huc autem non pertine-  
bat mactatio agni Paschalis, cum hæc ab  
unâ parte hodiè ab alterâ cras fieri uti-  
que posset, quemadmodum & agni hi  
non sacrificia publica, sed privata erant,  
eámque ob causam, cùm & quædam cir-  
cumstantiæ in illis locum haberent, quæ  
in publicis quoque obtinebant, privata  
quasi publica aut publicis similia appellari  
Tom. I, P. III. sole.

solebant; quā de re videri potest Cel.  
Relandus Antiq. Part. III, Cap. I. §. VI.

## §. VIII.

Atque hinc simul apparet, quod sub finem  
commatis XI. subjungit, *Pharisæos, & qui eos*  
*sequebantur, pariter putasse Pascha non nisi unde ra-*  
*tione celebrari posse, ac ego quidem suffitum adolendi*  
*locum & aquæ libationem, differentiam admisisse,*  
*negem, nimis dilutum esse, inque eo vel men-*  
*tem meam non satis assequutum esse, vel mi-*  
*nus rectè proposuisse. Non enim quæ-*  
*ritur hīc, vel à me monitum est, quid Phari-*  
*sei, aut (si id etiam addere velis) Scripturarii*  
*putarint, vel non putarint, sed quid conve-*  
*nienter naturæ rei uno tantum aut pluribus*  
*simil modis fieri, vel non fieri potuerit? at-*  
*que adeò in quo una pars, sine totali senten-*  
*tiæ auctoritatísve suæ dispendio, alteram ferre*  
*aut non ferre potuerit. Sic in talibus partibus*  
*cultūs publici quarum quædam specimina at-*  
*tuli, utrum, ex. gr. in festo tabernaculorum præ-*  
*ter vinum etiam aqua libanda esset in altari nec-*  
*ne, aut utrum suffitus in die expiationis in ignem*  
*mitti deberet in ipso sancto Sanctorum, an verò*  
*extra illud in sancto coram velo interiori, ex qui-*  
*bis priora mordicus tuebantur Pharisæi, poste-*  
*riora Scripturarii, cùm horum unum tantum*  
*fieri posset, neutra pars alteri quicquam, sine*  
*aliquo doctrinæ auctoritatísque suæ detrimen-*  
*to, concedere poterat. Atque hinc Pharisæi*  
*urge-*

Disquisit. Historico Philologica &c. 325

urgebant, & ubi potiores eorum partes erant, pro insigni, quâ Hypocritarum more, apud populum pollebant auctoritate, haud difficulter impetrabant, ut omnia hæc ex suâ sententiâ fierent, ipsosque *Sadduceos*, ubi ad dignitates, evehebantur, cogebant, ut se illis licet inviti conformarent, cuius manifestissimum exemplum in sacerdote illo *Sadduceorum* partibus addicto, qui, licet invitus & contra animi sui sententiam, cogebatur, ut aquam ad libandum ad altare deferret, sed cum morem tamen hunc minimè probaret, eandem ad pedes effundebat; verum hanc ob causam à populo, cum *Phariseis* faciente, malis citrèis impetebatur. Atque de talibus *Josephum* propriè loqui existimo. Alia autem planè erat ratio sacerorum privatorum, a publico privatorum quæ diversis modis non incommodè fieri poterant, ut quo die unus quisque Pascha suum manaret, & dein comedereret, in talibus quidem insigni iterum *Pharisei* gaudebant prærogatiâ, cum quoties ipsorum secta prævaleret, illis integrum esset in Synedrio rem ex suâ sententiâ determinare, licet vel invidiæ declinandas causâ permitterent, aut potius imprimere non possent, ut secus sentientes sua placita sequerentur, & Pascha uno die citius manarent. Ut igitur nulla est regula, quæ non patiatur exceptionem, ita quoque Josephi verba vera manebunt, licet istiusmodi casus excipiamus, aut illa convenienter circumstan-

tiis, quas ipse Scriptor non obscurè suggestit,  
& reliqui Judæi confirmant, limitemus. Atque ita æquus rerum arbiter jam, ut spero,  
agnoscet, recte omnino tam illud discrimen à  
me factum, quam Josephi verba limitata esse.

## §. IX.

Commate XII. in asseclarum copiam atque numerum, quibus Sadduœos sententia juxæ auctoritatem conciliaſſe afferuerit Ikenius (ut Gudio loqui placuit) aciem instruit. Scilicet ut eò magis pateret, mirum non esse, quod Pharisei vel noluerint, vel potius non potuerint impedire, ut quidam diverso à se tempore primum mensis diem determinationem, & secundum hanc determinationem, Pascha suum maſtarent atque comedenter, docui, hīc non de paucis quibusdam privatis hominibus sermonem esse, quibus id utique non facilè concederetur, sed de incredibili multitudine magnaque populi parte, dum Karœi, Sadduœi, Baithosei, & quotquot traditionibus rejectis ipsius S. Scripturæ verbis mordicus inberegabant, hac in re convenirent. His opponit, me non ignorasse, quod Josepho teste, Sadduœorum propriè dictorum doctrina ad paucos transierit. Quonam igitur jure Karœis ex Sadduœorum consortio tantam auctoritatem vindicaverim, ut Phariseorum placitis se opponere, cultumque publicum ad suam mentem confirmare ipsis licuerit? Quæ sanè mira iterum est, ratiocinatio, magis ad fucum lectori faciendum, quod minus verborum meorum pondus ritæ

rite percipiat, quām ad hoc enervandum, comparata. Neque enim 1. Doctrina *Sadduceorum* ad tam paucos, ac *Gudius* quidem existimat, transiit, nec id generatim vult *Josephus*, sed oppositē ad *Phariseos* loquitur, quos major numerus sequutus est, ceteroquin enim *Josephus* sine dubio inde non peculiarem sectam in populo iudaico fabricasset, multō minus eam cum numerosissimā *Phariseorum* sectā composuisset, 2. nec de solis loquor *Sadduceis* sed & de *Karræis*, qui & ipsi ut ex Notit. Karræor. c. VIII. IX. & passim patet, non exiguo numero fuerunt, 3. illis *Baithosæos* & quotquot rejectis traditionibus S. Scripturæ verbis mordicus inhærebant, jungo, sed hos *Gudius* alto silentio transit. 4. quærerit quo jure illis tantam auctoritatē vindicaverim, ut PHARISEORUM placitis se opponere, cultūnque publicum ad suam mentem conformare ipsis licuerit? Auctoritatē enim aliorum placitis semet opponendi, etiam longè paucioribus posse competere, quām Scripturarii fuerunt, vel ex primis reformatoribus, Romanæ curiæ ecclesiæque placitis semet opponentibus, indubitum est: auctoritatē autem cultum publicum ad suam mentem conformandi, neque illis generatim temporibus quibus *Phariseorum* secta prævalebat, neque his sigillatim, de quibus agimus, hactenus unquam tribui, quin potius id *Phariseis* indulsi, Scripturariis autem in his circumstantiis nihil aliud reser-

vavi, nisi libertatem sua sacra, eo, quo id secundum Legem Mosis fieri debere sentiebant, tempore, celebrandi. Quod tanto majori jure feci, quia Sadducei maximam partem non de plebe homines erant, ut Phariseorum satellites, sed viri maximè honorati, ut Josephus loquitur, ἀνδρες ἐν πολοις καὶ πρωτοι τοῖς ἀξιωμασι, unde quidem nullibi concludere volui, eos Phariseis, non tanum auctoritate pares, sed iisdem quoque longè superiores fuissent, quod tamen tam confidenter asserit Gudius, ut non possim non jure quodam meo flagitare, ut locum ubi id à me factum sit ostendat, sed id tantum evincere volui, non facilè Scripturarisi denegari aut eosdem impediri à Phariseis potuisse, quò minus secundum ipsam Legis literam dies numerent, & secundum hanc suppunctionem sacra sua celebrent, cùm præter hanc iustitiam causæ suæ, quam tamen cùm arguento meo non exiguum robur addat, s. plausibilem intactam prætermittit Gudius (novo certissimoque indicio, quam etiam mea non uti à me prolata sunt, sed ea facillimè elevari posse existimaret, attulerit) non exiguum iudaicæ gentis partem & cui maximè honorati præcipueque dignitatis Viri addicti, constituerent. Nunc sanè longè alia argumenti mei facies est, quam eidem Gudius tribuit, neque multum valet exclamatio: *in rebus quæ ad aras & focos spectant, plebis multitudinem plus valere, quam paucorum primatum auctoritatem, quis est?*

est qui nesciat? Nam & omnino aliquando in talibus rebus paucorum primatum auctoritatem, plus valere quam plebis multitudinem, ex exemplo paucorum Principum, qui in Concilio Tridentino Patribus, licet plebis multitudine cum illis ficeret, id extorserunt, ut sibi calicis in S. Cœna usum integrum concederent, quis est qui nesciat? Tum vero hic non paucos primates multitudini plebis, in rebus quæ generatim ad aras & focos spectant; sed magnam populi & gentis partem, non pauorum, quod ex ingenio addidit Gudius, sed multorum (ut ex Josepho & illis quæ Dissert. II. P. II. p. 13. docui, patet) primatum auctoritate fulsum, in iis, quæ horum libertatem, eadem alteri quoque parti salvâ reliktâ, ad sacra sua, eo quo id ipsâ Lege præscriptum censebant, celebranda, spectabant, opponi, nemo qui ad verba & argumenti vim ritè attendere volet, in posterum erit, qui nesciat. Denique 6. nec illud se recte habet, quod asseclarum suorum paucitati tantopere diffisus fuisse, ut in Pharisæorum sententiam pedibus iverint, nos Josephus edocuerit. Nihil enim horum Josephus docuit, sed id tantum, quod quoties Sadducae magistratus gerebant, inviti & coacti illis quæ Pharisæi dicebant accesserint, quia illos ceteroquin populus non ferret, i. e. ut com. VIII. vidimus, quod in talibus, quæ publico nomine peragenda erant, nec nisi uno modo peragi poterant, (minime vero in omnibus) se & quidem inviti &

Y 4

coacti

*coadi conformare debuerint, idque non quod paucitati asseclarum dissiderent, sed quia plebs quae ad tumultum prona est, & magis impetu quam ratione plerumque agere solet, illos certeroquin in hac dignitate non ferret.*

## §. X.

Ut eò magis pateret, non tam absolutum *Phariseos* in dissentientes à se *Scripturarios* imperium habuisse, ut eos ad omnia sua placita sequenda cogere possent, multò minus quae ipsis præter aut contra legem patriam visum est introducere ἐντάλματα ἀνθρώπων universo populo pro lege fuisse, monui, temporum discrimen probè attendi debere, cum nonnunquam quidem plus valuerint, nonnunquam autem etiam eorum auctoritas valde imminuta fuerit, imò eorum adversarii rerum summā potirentur, integrumque Synedrium excepto *Simeone Ben-Schobach*, illis constaret (non ab illis constitueretur, ut verba mea adducit *Rev. Adversarius*, ita enim loqui non soleo) quem in finem provocavi ad tempora *Hyrcani* & *Alexandri Jannai*. Atque hæc quidem uti negari nullo modo poterant, ita ultro com. XIII. concedit, sed addit, ex ipso *Alexandri* monito, uxori, cum morti vicinus esset, dato, *Alexandram* nihil sine *Pharisæorum* præscitu egisse, sicque *PHARISÆIS* pristinam auctoritatem restitutam esse, quæ illo temporis articulo poluerint, quo in *Judea* versatus fuit *Christus*. At hic

hic sanè longè plus ex præmissis insert *Rev.*  
*Adversarius* quām ex illis sequitur. Egerit  
Alexandra nil nisi ex *Phariseorum* præscitu,  
num inde sequitur, *Scripturarios* adeo illorum  
arbitrariæ potestati subjectos fuisse, ut non li-  
cuerit illis cultum suum Doctrinæ quam ex  
ipsis *Scripturae* verbis hauriebant, rejeclis tra-  
ditionibus, conformare? Quænam hæc quælo  
consequentia? Quis in his medius terminus  
est? Dein quibus fidiculis inde extorqueri  
poterit, talem de qua inter nos controver-  
titur auctoritatem *Phariseis* restitutam esse,  
quā illos unquam antea gavilos esse, ne  
minimo quidem indicio constat? Quantus  
verò saltus est, ex his universalem illam in fa-  
cbris *Phariseorum* monarchiam, inde usque ad  
Christi in terris versantis tempora deducere,  
ac si nullæ amplius lites inter *Phariseos* &  
*Scripturarios*, nullæ lites inter *Hillel* & *Schammah*  
aliósque agitatæ essent?

§. XI.

Verùm immorari his amplius nolo cùm  
Vener. *Gudius* me §. XIV. propius ad ipsius  
Servatoris in terris versantis tempus avocet.  
At hic statim in limine iterum mihi affingere  
orationis ambitu conatur, quæ nullibi à me  
dicta sunt, dum ita infit: *Eo autem ipso tem-*  
*pore SADDUCEORUM auctoritatem summum cacu-*  
*men attigisse, sibi persuasum habet CELEB. IKE-*  
*NIUS, id quod vel ex eo patere afferit quòd &c.*  
Verùm tuam fidem, ADMODUM VENE-

Y 5

RAN.

RANDE GUDI! unde tibi constat memet  
hoc mihi persuasum habere: Nullibi sanè id  
à me prolatum est, sed Dissert. II. Part. II.  
p. 15. scripsi: *Servatore munus Propheticum exer-*  
*cente quanta SADDUCÆORUM Autoritas fuerit, vel*  
*ex eo satis patet, quod Ec. & Dissertat. tibi op-*  
*positæ p. 37. Accedit in primis quòd tempore pu-*  
*blici ministerii, Ec mortis Servatoris SADDUCÆI in*  
*Synedrio plurimum valebant, nec pauci in hoc colle-*  
*gio sedem habebant, Ec. Non igitur persuasum*  
*mihi habui, neque ex illis quæ adduxi ex*  
*scriptis Novi Fœderis patere asserui Sadducæo-*  
*rum auctoritatem tum temporis summum*  
*culmen attigisse, quod etiam mea parum re-*  
*fert, sed tantum satis magnam, tantamque*  
*in primis fuisse, ut minimè probabile sit Pha-*  
*risæos impedire potuisse, ut secundum Legis*  
*literam, quam presè sequebantur, sacra sua*  
*justo tempore celebrarent. Atque hoc etiam-*  
*nun ex omnibus à me adductis speciminiibus*  
*patere, tanto majori ratione censeo, quod*  
*minus quicquam solidi illis Rev. Gudius oppo-*  
*suit. Quod enim tantum ad locum Josephi*  
*supra com. VII. excussum, velut ad sacram*  
*quandam anchoram confugit, tanto nunc ipsi*  
*minus prodest, quò magis ex iis, quæ ibidem*  
*attuli, manifestum est, in eo nihil ipsi præsi-*  
*dii esse, eumque nihil minus quam quod in-*  
*de elicere conatur, dicere. Cùm autem in-*  
*ter illa, quæ non adeò postramat ut Gudius*  
*existimat, omnem Sadduceorum illâ ætati au-*  
*stori-*

ctoritatem , arguunt , commemoraverim ,  
HERODEM ANTIPAM ejusque asseclas , HE-  
RODIANOS , SADDUCÆISMUM amplexos  
esse , reponit , nondum Ikenium probatum dedisse ,  
Herodem Antipam publicè à Sadducæorum partibus  
stetisse , & Pbariseis potestatem , Sadduceis obviam  
eundi , ademisse . Num hic iterum ludat in vo-  
ce publicè nescio , neque opus esse credo , ut  
ostendatur Herodem id publico affixo decla-  
rasse , id autem sufficere existimo , quod cel.  
Rhenferdium ex collat. Matth. XVI, 6. cum  
Marc. VIII, 15. docuisse monui , fermentum He-  
rodis & Sadducæorum inter se permutari , atque  
adeò illum Sadducæorum dogmata cum asseclis  
suis amplexum esse , quod & Kuhnium ex  
Josepho confirmasse subjunxi , conferatur  
nunc insuper Wolsius Bibl. Hebr. P. II. p. 818.  
& in cur. crit. ad Matth. XXII, 16. quósque  
ibidem laudat. Utrum autem in omnibus , an  
in nonnullis saltem capitibus , nunc disputare  
nolo , cùm mihi sufficiat ipsum Gudium agno-  
scere , illos mortuorum in vitam redditum cum Sad-  
duceis abnegasse , atque adeò vel ipso fatente  
constet eos Herodem qui tum rerum potie-  
batur secum sentientem habuisse , quamvis  
quis illi revelaverit , Herodem id in animo suo  
tantum abnegasse , neque publicè idem cum  
Sadduceis professum esse , ignorare me fatear ,  
& ex ipso propriùs audire gestiam.

§. XII.

Quod autem sub finem com. XIV. subjun-  
git,

git, ejus momenti est, ut illi novum comma impendere cogar. Nova enim hic planè, & non mihi tantum sed & omnibus, qui me longè diligentius Antiquitates Judaicas excusserunt, hactenus inaudita prædicat, dum ait: *Quantum verò Phariseorum auctoritas eo tempore valuerit, vel ex eo patet, quod IN ENCAENIORUM FESTO SACERDOTEM, QUI AQUAM, QUÆ AD PHARISEORUM SENTENTIAM LIBANDA FIERAT, AD PEDES SUOS EFFUDERAT, MALIS CITERIS PLEBS PETIVERIT, ET DUBIO PROCUL PROFLIGAVERIT.*

1. Quis enim vel fando unquam audivit, *Judeos in festo Encæniorum aquam libasse?* In festo tabernaculorum id factum est, mihi Gudi! non Encæniorum, quæ non solum diversissima, sed & plus duorum mensium spatio à se invicem disjuncta fuerunt, cum festum Tabernaculorum XV. mensis Turi & sequentibus, festum Encæniorum autem XXV. Kislev & septem successivè diebus celebraretur. Et licet nonnullas ceremonias cum festo tabernaculorum communes haberet, nunquam tamen hic vel per insomnium quisquam de libatione aquæ cogitavit. Conf. de his tantum præter autores Celeb. Fabricio Bibl. Antiq. c. X. & Cl. Lampio atque Rev. Wulfio ad Joh. X., 22. adductos, Reland. Antiq. p. 488. & 536.

2. Sed laudat tamen Auctorem suum *Guardius*, dum lectorem ablegat ad *Triglandium de seda*

sella Karræorum p. 187. edit. scilicet *Wolfiane*. Verum haud levis eo ipso sit Viro Eruditissimo injuria, qui sanè nimis sedulo Antiquitates Judaicas excoluerat, quām ut talia sibi posset elabi sinere. Neque ipsa solū verba, licet eā ratione à Rev. Gudio cursivis (ut vocant) literis adducta sint, apud eum minime existant, sed nec res ipsa, quin imò contra disertē ceremoniam hanc & quod eā occasione accidit, ad festum tabernaculorum refert. Postquam enim p. 186. dissensum Traditionariorum & Karræorum ad tria capita retulisset, p. 187. num. 3. ait: *Tandem extra scripturam obtruserunt Rabbanite ceremoniam, ultimā festi luce cum maxime, נסחן Effusonis Aquarum.* Dein autem subjungit: *Eo usque quidem hæc recens traditio sanioribus displicebat, ut sacerdos quidam, hostis θεοδροκίας, adspicitante populo, ringentibus Pharisæis, aliquando simpulum aquæ sibi datum, huic usui indignabundus inter sacra ad pedes suos effuderit, &c.* Ne γενι quidem hæc loci de festo Encænorum habet, sed de illo agit p. 191. at ibi nullo verbo libationis aquæ,

\* In eo quidem aliiquid humani passus est Celeb. Trieglandius quod ceremonias ad ultimum festi diem restringat, cùm ea potius omnibus septem diebus (excepto quod in illos incidebat Sabbatho) observata sit, ut docui in Symbol. Literat. T. I. P. II. p. 164, sed ut hunc errorem cum quibusdam aliis Viris doctis communem habet, ita ab eo, quem Gadius hic ipsi imputat, planè immunis est.

*aqua*, aut facti quod *cā* occasione acciderit, mentionem injicit.

3. Non minus insignem *parachronismum* committit vel denuō fingit, quæ nullo argumen-  
to constant, dum ex his verbis patere pro-  
nunciat, quantum *eo tempore*, quo, nempe, *in  
Judea versatus* fuit *Christus*, *Phariseorum* au-  
toritas valuerit. Quod si enim, ut quidam cum  
*Bernardo ad Josephi Antiq. Lib. III. c. X. cen-*  
*Sacerdos hic fuerit ipse Pontifex M. &*  
*Rex Alexander Janneus*, ob parallelam in non  
paucis capitibus historiam, quam de illo nar-  
rat idem *Josephus lib. XIII. c. XIII.* *parachro-*  
*nismus* hic circiter 100. annorum erit, cūm is-  
tanto temporis intervallo ante Christum na-  
tum vixerit; si verò *Gudius* id admittere no-  
lit, edoceri ab ipso gestio, unde sciat rem  
hanc Christo in terris versante contigisse,  
quod si præstare nequeat, non ægrè feret, si  
& hanc rem reliquis quæ ad stabiliendam hy-  
pothesin sine ullo fundamento asseruit, annu-  
merem.

4. Denique si etiam omnia hæc se rectè  
haberent, nihil tamen meæ sententiæ no-  
cent, quia nunquam negavi satis magnam fuis-  
se *Phariseorum*, in primis quibusdam tempori-  
bus auctoritatem, tum quoque ritum libandæ  
*aqua*, licet illum omnes scripturarii improba-  
rent, sub templo II. tamen ex sententiâ *Pha-*  
*riæorum* observatum, unumque ex illis fuisse,  
qui

qui non nisi uno modo observari poterant,  
& quem adeò etiam sacerdos *Sadduceus* licet  
invitus & coactus observare tenebatur, quo-  
niam illum ceteroquin plebs non tulisset,

§. XIII.

Instat *Vener. Gudius* com. XV. Fuerint igitur  
*SADDUCEI* Synedrii assessores imò quandoque illius  
præsides (ut nempe ex Actibus Apostolicis  
ostendi) sententias tamen quas in animis suis volve-  
bant, & premebant, munerum suorum auctoritate nul-  
lo modo munire, & ad eas publicum cultum formare,  
potuerunt. E contrario vel à *PHARISEIS* dissenti-  
entes placita tamen illorum publicè settari oportuit;  
eo saltē tempore, quo Christus in terris egit, &  
quo ab ejus in cœlum ascensu posterius templum per-  
stitit. Verū in his uti chordā denuò ober-  
rat eadem, ita per ea quæ sèpius monuimus,  
omnia ultrò corruunt. Non enim animis  
volvisse & pressisse sententias suas, sed pu-  
blicè confessos esse evicimus §. V. pu-  
blicum autem cultum ad eas formasse, si de  
talibus accipias, quæ totius populi nomine  
agebantur, nec nisi unâ ratione peragi pote-  
rant, nunquam dixi, si verò ad publicum  
cultum referas, sacra, quæ singuli pro se fa-  
cere debebant, hæc *Scripturarios* & in primis  
etiam *Sadduceos* suis sententiis conformasse &  
conformare potuisse ibidem quoque à nobis  
evictum est. Sub finem hujus commatis se  
admodum liberalem præbet, cùm enim Dis-  
sert.

sert. II. P. II. p. 16. ut evincerem, Scripturarios non, ut *Vir. Vener.* existimat, diversam tantum à *Phariseis* sententiam peccatore fuisse, in ipsis autem actionibus se horum placitis conformasse, sed potius has secundum illas, quās animo fovebant, sententias instituisse, dixisse, nullam ceteroquin rationem fuisse, quare non in hunc diem eundem morem servaverint, sed potius à reliquis *Judaeis* semet separando, immane odium quo *Karræos* prosequuntur in capita sua concitare voluerint, ambabus hoc quod aijunt manibus se amplecti pronunciat. Sed vereor ne vel in verbis ludat, meaque alieno sensu sumat, vel nisi in meas crastra transire velit, mox sua retrahet, cum enim, ut *Karrai* ubique testantur, cur se à reliquis *Judaeis* separaverint eorumque immane odium in capita sua concitaverint, hanc gravissimam rationem habuerint, quod doctrinam à majoribus suis acceptam deserere, & à cultu ab illis secundum hanc doctrinam instituto salvâ conscientiâ desistere non potuerint, vel hinc manifestum est, & majores ipsorum idem fecisse, neque adeò, ut *Gudius* existimat, diversum quidem ab illis sensisse, sed ipso actu tamen *Phariseorum* placita secutos esse.

#### §. XIV.

Sed quid opus est ulteriori argumentatione? cum fusè testimoniis omni exceptione majoribus, & quidem, quod probè notandum,

dum, utriusque partis tam *Rabbanitarum* quam  
*Karrorum* evicerim, verè stante adhuc templo  
II, Scripturarios non solum diversum à *Rabba-*  
*nitis* aut *Phariseis* sensisse, sed & ipso actu suis,  
non adversariorum placitis, cultum suum con-  
formasse, & in primis idcirco nonnunquam  
diversis diebus novilunium fixisse, & Pascha  
suum mactasse, conf. supra monita §. VI.  
Verum ad hæc omnia magis mutus est *Gudius*  
quam pescis, sine dubio quia nihil quod ad  
ea reponeret, invenit, at tanto magis mi-  
rum est, quod cum uti haec tenus infeliciter  
admodum pugnavit, ita hic aperte aciem de-  
serit, nihilominus autem dictorum suorum  
summam colligens, triumphum ante victo-  
riam comm. XVI. XVII. & XVIII. canere  
non dubitet. Verum uti ex falsis præmissis,  
ut recti Logici dicunt, nihil sequitur, sed fal-  
sa potius quoque est conclusio, ita sine ullâ  
principii petitione assero, & quam elicit con-  
clusionem, illis quæ haec tenus disputavit, ni-  
hilo meliorem esse. Quæcum ita sint, ait,  
*Karrorum* sive *Sadduceorum* dissensus à *Phari-*  
*seis*, Ikenium prorsus non juvat, affirmantem:  
*Christum* illorum exemplo, uno die citius, quam  
*Pbariseos*, paschalibus epulis usum fuisse. Argumen-  
tum enim ejus primarium ab auctoritate *Sadduceo-*  
*rum* petatum, subruttum & collapsum esse vidimus.  
Præterquam enim quodd hic iterum *Kar-*  
*reos* cum *Sadduceis* confundat, & falsò afferat  
argumentum ab auctoritate *Sadduceorum* peti-

Tom. I. P. III.

Z tum,

tum, primarium meum argumentum esse, cùm illud inter alia tantùm attulerim, ut, quod aliunde adstruxi, denuò corroborarem, scilicet *Phariseos* impedire non potuisse quo minus *Scripturarii* sententiam suam scripturæ verbis superstructam ad celebranda sacra sua sequerentur, tantùmque absit, ut hoc argumentum per *Gudii* argumenta destructum & collapsum sit, ut hæc potius liquidò ostenderim nullius planè ponderis esse, *Gudi* in illis vel mentem meam non percepisse vel non ritè proposuisse, aut cum umbra certasse, imò illum argumenta historica quibus evici, verè non *Sadduceos* tantùm sed & omnes *Scripturarios* tantâ auctoritate de quâ hîc solum disputatur gavilos esse, ut suâ in celebrandis sacrâ libertate usi sint, ne quidem testigisse, aut tangere ausum esse, hinc falsissimum est quod inde sequi pronunciat, *Christum* si vel *Sadduceos* imitari voluerit id non potuisse, quoniam quod integræ *Sadduceorum* sectæ non concessum, nec uni *Christo* à *Phariseis* permisum fuerit, cum potius quod non *Sadduceis* tantùm sed omnibus *Scripturariis* concessum, id *Christo* etiam negari minimè potuerit.

### §. XV.

Sed ulterius adhuc pedem promovet, dum com. XVII. tantum abesse pronunciat, ut *Christus* ad *Sadduceorum* mores se composuerit, ut postius

ius Phariseorum placita in peragendo publico cultu  
fuerit sectatus si ab iis circumstantiis discesseris, quæ  
suis ipsius mandatis adversabantur. Quod probat  
ex Encænorum festo (hac vice quidem rectè ita  
nuncupato) non divino jussu, sed superiorum  
arbitrio tempore Chasmonæorum, seu ut ipsi  
eos cum multis erroneè appellare placet. Mac-  
cabæorum demum instituto, cui licet, idcirco  
Karræi ab illo celebrando abstinentum do-  
cuerint, Christus tamen interfuerit Joh. X,  
22. Verum ut & hic iterum Sadducæos cum  
Karræis confundit, ita ἀυτοκαταρρεπος evadit,  
dum agnoscit Servatorem in illis circumstan-  
tiis, quæ suis ipsius mandatis adversabantur,  
in peragendo publico cultu illos sectatum non  
fuisse, ex his enim sine dubio erat, quod Legem  
Dei abrogabant, eique derogabant per traditiones suas  
Marc. VII, 9. hoc autem in primis quoque  
in illo, de quo agimus negotio, fiebat. Cum  
enim Lex jussisset, ut dies quo nova luna  
visa, in novilunium consecraretur atque inde  
dies festi, & in primis dies maestandi agni Pa-  
schalis determinaretur, Rabbanite non solum  
ob plures causas illum diem prætermiserunt,  
sed eo insaniz progreffi sunt, ut assererent,  
licet Synedrium dein intelligeret, se in hac  
determinatione errasse aut in errorem du-  
ctum esse, non tamen idcirco rem mutasse,  
sed nihilominus voluisse, ut singuli erroneum  
hoc judicium sequerentur, ut testimoniis i-  
plorum Doctorum Rabbanitarum ostendi Dissert.

II. P. I. §. XII. 30 - 39. In talibus itaque circumstantiis ipso Rev. adversario fatente, Christus Pharisaeorum placita fecutus non est. Quod de Encaniorum festo addit, ipsum nil juvat, licet enim Servator cum festum hoc ageretur in templo praesens fuerit, quemadmodum & alias quotidie ibidem docuit, Luc. XXI. 37. ne minimo tamen indicio constat, illum solemnitatem hanc cum Pharisaeis celebrasse, neque id cogitari potest, cum ejus celebratio præ ipue insano gaudio, instar illius nocturni gaudii quo noctes festi tabernaculorum mera bachanalia viventes transigebant, fieret, quin imò sacer scriptor disertè testetur com 39 quod te mox quia Judæi eumprehendere quererebant, ipsorum manibus subduxerit, & trans Jordanem secesserit. Ceterum si vel Servator hac occasione beneficium illius patribus præstigi memoriam recoluisset, quod uti omni tempore ita & hoc pie fieri poterat, id & à mente Karraeorum alienum non erat, qui tantum solemnum festorum annuatim recurrentium & certis ceremoniis celebrandorum institutionem, nisi à Prophetis Dei nomine fiat, improbant. Unde in egregio meo MSC. Karraitico ex quo jam nonnulla produxi Dissert. II. P. I. p. i. postquam num XV. Thalmudista Karraeo objiciens introductus esset להרליך מה אינכם נוהנים

הנרות בשמך ימי חנוכה ואם אינכם מאמנים לאותה התשועה הגROLה אשר עשה

עשה הרש"ית להנידיל במן החשמונאים כיוון  
שאינכם נוהגים המנהג והוא כאשר אנחנו  
נוהגים *Quare vos non soletis accendere lucernas  
odo diebus initiationis? Utrum vos non creditis ma-  
gnam illam salutem, quam Deus Benedictus conces-  
sit Israëli tempore Chasmonaeorum? quod non obser-  
vatis consuetudinem hanc, ut nos solemus: respon-  
det Karræus:*  
חלילה לנו שאנחנו נשים לאל:  
דברי החכמים וספורם וודענו בכירור שהשי"ת  
הנידיל חסרו לעשות ע"ם אבותינו במן  
מלחמות החשמונאים עם הונט ולפי שcoli  
הרעת היה דבר נכון לקבע הלכה לרשות  
шибיו עם ישראל שמהם וטובי לבב באיהם  
הימים לזכור הנס הנידול אשר עשה עמם  
לחפלייא אלא שאין אנחנו יוצאים מגרר התורה  
הכתובה כאשר הווכרכנו בפ' ואחרנן (רברום  
ר' ב') לא תוסיפו על הרבר אשר אני  
מציה אהכ' ולא תגערו ממנה וגוי וחתיימה  
נבואת הנביא האחרון מסיע לזה ברכתי  
זכרו תורה משה עכדי וגוי וכבר היה זה הנביא  
במן בית שני ולא החלף שום דבר מהתורה  
משה אליה העמיד על אותו השישור:  
*Absit à nobis ut apponamus Deo verba sapientum  
& eorum narrationes. Certò quidem scimus quod  
DEUS Benedictus magnam fecit benignitatem suam  
Patribus nostris tempore belli Chasmonaeorum cum  
Graci. & secundum libram rationis aequum erit ut  
constitutionem figerent generationibus, ut cum Itraë-*

le gaudent et bilari animo essent, in diebus illis,  
quo recordarentur magni illius signi, quod ipsis ad  
miraculum usque concesserat. Quoniam autem nos  
non egredimur maceriem Legis scriptae, quemadmo-  
dum moniti sumus in Parascha זְהִרָּה (Deut.  
IV, 2.) NE ADDATIS AD VERBUM QUOD EGO  
VOBIS PRÆCEPI NEQUE DEMATIS DE ILLO &c.  
ET obsignatio prophetæ Propheciae ultimi huic rei  
opitulatur, quemadmodum scriptum est (Mal. IV.  
2.) RECORDAMINI LEGIS MOSIS SERVI MEI &c.  
In primis cum hic Propheta jam vixerit sub templo  
II. neque tamen quicquam mutaverit in Lege Mo-  
sis, sed superstruxerit huic fundamento.

## §. XVI.

Dicendi finis quem §. XVIII. facit, nihilo  
melior est ejus initio, quando testatur,  
quod sat superque demonstratum esse credit,  
KARÆORUM sive SADDUCÆORUM au-  
toritatem eo tempore quo Christus in terris versa-  
tus erat, tantam non fuisse, ut ipsis publici cultus  
ritus immutare licuerit, si vel eorum aliquos divi-  
nae regulæ contrarios esse putaverint, et in schola-  
rum umbra vel in scriptis dissensum suum à Phari-  
seorum sententia declaraverint. Quid enim ipse  
de labore suo credit necne, hic in questio-  
nem non venit, imò vix credo ullum Lecto-  
rem extra partes positum, & forsitan nec ipsum  
Rev. Gudium, si haec attentè & sine præjudicio  
perlegere dignabitur, id amplius crediturum  
esse. Tantam enim utique, non Karais sive  
Sadducæis (quos more suo male iterum pro  
iisdem

iisdem habet) sed utrisque & omnibus Scripturariis fuisse potestatem, ut (licet publici cultūs ritus in universum immutare illis fas non fuerit, de quo nulla inter nos quæstio fuit, quodque adeò demonstrare velle, est ~~æqua dægen~~) tamen sua sacra, secundūm sententiam suam, ipsis Legis verbis superstrutam, non solum celebrare ipsis licuerit, sed & actu celebraverint, à me superioribus Dissertationibus liquidò demonstratum est, v. supra §. V. & VI. ex quibus simul patet quod & pluribus §. V. evictum est, minimè ut Gudius sine ullo fundamento afferuit, eos tantum in scholarum umbrâ aut scriptis dissensum suum à Phariseorum sententiâ, sed ipsâ potius praxi declarasse.

§. XVII.

Atque sic ego jam non credo tantum, sed & summo jure adfirmo, quod cum ut hactenus indubiis argumentis demonstratum dedi, Rev. Gudius causam de quâ inter nos controversum fuit, an ultima cœna SERVATORIS Paschalis fuerit, planè deseruerit, & ad aliam de SADDUCEORUM inter Judeos auctoritate, delapsus sit, ex quâ lis hæc planè decidi nequit vid. supra §. I. & nomine Sadduceorum contra receptum ejus usum, sub illo Karraos comprehendens ad fucum Lectori faciendum abutatur §. II. & parachronismos committens sibi met ipsi obloquatur §. III, & ubique in-

Z 4

con-

constans fluctuet, magisque declamationibus quam demonstrationibus usus, modo Karæorum antiquitatem concedat, modo sine ratione eandem in dubium vocet, eorumque lites scholarum umbræ tantum includat §. IV. V. & frustra ad Josephi testimonium provocet, minus rectè à particulari argumentatus ad universale, quin & verba Josephi Karæ nō dicta universaliter accipiat, & ipse in principia logica, quod mihi objectum iri sine illâ ratione metuebat, impingat, §. VI. VII. VIII. & quæ de omnibus Scripturariis dicta erant, ad Sadduæos restringat, ut illorum numerum imminuat, & mihi iterum adscribat, quæ nullibi à me dicta sunt, & ex Josephi verbis eliciat, quod illis minimè continetur, & ex particulari casu ad sequentium 100. annorum seriem argumentetur, & verba mea æquè ac statum controversiæ pervertat, supponens denuò quæ nec ad rem faciunt, nec ipse probat, §. IX. X. XI. & festum Encæniorum cum illo tabernaculorum confundens, & Triglandio errorem affingens, de quo nunquam cogitavit, quin & addens historiolæ Judæorum, quod nemo eorum retulit, & vel parachronismum 100. annorum commitens, aut quæ probare nequit, fingens, ne sic quidem quod probare volebat, probaverit §. XII. & denuò eadem oberrans chordâ, vel quod in quæstione non erat, vel quod inde minimè sequebatur intulerit, concedens insuper

super quod maximè contra ipsum militat, §. XIII. ea verò quæ à me ad sententiam meam ex historiâ extra omnem dubitationis aliam ponendam allata erant, penitus intacta reliquerit §. XIV. contra autem ex falsâ hypothesi de celebrato à Christo Encæniorum festo, eum *Phariseorum* mores potius quam *Karræorum*, confundens iterum hos cum *Sadduceis*, frustra deducere annis sit §. XV. tandem autem dicendi finem faciens falsò crediderit se demonstrasse, quod nullibi demonstratum est, imò quod generaliori locutione prolatum, iterum vel in quæstione non fuit, vel cuius contrarium indubiis argumentis evictum §. XVI. quod, inquam, idcirco, nihil planè demonstraverit, meaque adeò non solum de hoc arguento sententia adhuc salva atque inconcussa maneat, sed & cum hoc pacto modus quo fieri potuit ut *Servator* uno die citius quam *Pharisei* Pascha comederet, ab omnibus objectoribus *Viri Rev.* vindicatus sit, primaria quæ à me acta est contra *Rev.* Gudium causa, cœnam nempe *Servatoris* ultimam verè Paschalem fuisse, retusis objectionum *Gudianarum* fluctibus, instar Marpesiæ cautis adhuc immota perstet.

§. XVIII.

Atque his quidem idcirco nunc securus acquiescere possem, quò autem (si fieri queat) ipsum *Ven.* *Gudium*, aut saltem si quos forte-

Z 5

specio-

speciosus ejus prætextus verborumque ambitus dubios reddiderit, de justitiâ cautæ, quam egi, tanto magis convincam, lubet adhuc verbo, quod ipsi præcipue fraudi fuisse videatur, quod minus argumentorum meorum vim ritè perspiceret, quodque ipsum maximè, ad rationes eo quo id fecit modo subdueendas, induxit, tangere. Scilicet considerat *Vir Rever. Scripturarios* ut si non ætate *Phariseis* posteriores, certè pares, hincque totam disputationem ita instituit, ut expendat, an illi idcirco ad tantam auctoritatem pervenire potuerint, ut *Phariseos* æqui pararent, nedum illis prævalerent. Verum in his non pauca se minus rectè habent.

Et i. quidem quod ad ipsum totius hujus rei fundamentum attinet, manifestum est, & crebræ Servatoris objurgationes extra omnem dubitationis aleam ponunt, *Phariseos* primùm Doctrinam æquè ac cultum Veteris Ecclesiæ Judaicæ corrupisse, dum præter alia jugum Legis innumeris ceremoniis aggravarunt, Dei præcepta per ἐντάματα ἀνθρώπων abrogarunt iisve derogarunt, humandum nomen, per illimitatam & infallibilem auctoritatem quam Synedrio tribuebant, in Ecclesiam introduxerunt. Hinc qui, antequam corruptio hæc invalesceret, Doctrinæ Legis ipsi inhæserunt, eique cultum suum conformarunt, sine dubio *Phariseis* antiquiores fuerunt, quique postquam fermentum *Phariseos*

*Phariseos*

*Phariseorum* introductum, simplici Doctrinæ Patrum & secundùm illam adornato cultui adhæserunt, pro verâ & genuinâ prisæ Ecclesiæ Judaicæ sobole habendi sunt. Non tamen & hi omni tempore ab omni labo immunes manserunt, in primis cum degeneres *Antigoni* Sochæi discipuli *Zadok* & *Baithos*, & quidem jam ante ortum *Phariseorum*, ut statim videbimus, præmium & poenam post hanc vitam negarunt, & sive ipsi sive coruna deinde sequaces, cum hoc in alios errores, in primis quod negarent Angelos & Spiritus, prolapsi sunt. Ab his tamen erroribus innumeri immunes manserunt, quibus *Karræorum* nomen adhæsit. Sic Ecclesia Judaica scissa est in duas præcipue partes, *Scripturariorum* & *Traditionariorum*, cum prioribus hac in parte, licet ceteroquin in aliis dissentientes faciebant *Sadducei*, *Baithosei*, *Samaritani* & si qui alii traditiones rejicerent solamque Legis literam recipientes illi cultum conformarentur, posteriores licet & ipsi in nonnullis diversum sentientes, in eo conveniebant quod *μετρια ανθρωπινα* seu Legem, ut vocant, orationem verbo, tam in Doctrinâ quam cultu secundum illam instituendo, jungerent. Harum igitur duarum partium unaquaque dogmata sua non solum omni nisu defendebat, sed & praxi sequebatur, quod uti non incommode in sacris privatis aut publico-privatis fieri potuit, ita in publicis, quæ nomine totius populi

puli siebant, id locum non inveniebat, cum  
hæc semel tantum fierent, atque adeò fieri  
vel non fieri, & uno tantum modo fieri de-  
berent. Hinc unaquæque pars operam dæ-  
bat, ut sententia quam tuebatur, prævaleret,  
tuentibus se Scripturariis simplici Legis lite-  
râ, & constanti majorum doctrinâ atque pra-  
xi, traditionariis autem commento *Legis oralis*  
& traditionum *de monte Sinai*, tum vero his  
exq[ui]sitiæ in externis ritibus, superstitione &  
hypocrisi plebem sibi captivantibus.

## §, XIX.

Ex dictis 2. patet, non opus esse ut in ori-  
ginem *Karræorum* proprius inquiramus, nisi  
fortè quis scire velit quando hoc nomine pro-  
priè primum insigniti sint, cuius tamen parum  
interessit, cum quod ad rem ipsam attinet,  
sufficiat omni ævo fuisse, qui solam literam Le-  
gis, rejectis traditionibus, sequerentur, quí-  
que dein (quocunque etiam id tempore fa-  
ctum sit) *Karræorum* nomen acceperunt, &  
adhucdum gerunt. Quòd si autem quæras  
quando diversæ illæ sectæ dissentientium ab  
iisdem *Sadduceorum* & *Phariseorum* indeque  
orta partium studia nata sint? negare no-  
mus etiam tale lolium mature satis pullula-  
re cœpisse, fuisséque homines, qui vel in  
*Atheismum* aut *Epicureismum* proniores de futurâ  
vitâ liberius sentirent, vel superstitioni dedi-  
ti cultum in hypocrisi & *omnianas yuvarolia*

cor-

converterent, aut ἡθοθρησκεία corrumperent, at quod res demum ita in nervum erupit, sēcūque existere cœperunt, alterutrum publicè profiteantes numerosisque factionibus defendantes, non accidit, nisi senioribus templi II. temporibus sub Regibus atque Pontificibus ex familiā Chasmonæorum. Karrei rem omnem ita narrant, quòd postquam Samari-tani quīque cum illis faciebant templum in monte Garizim erexissent, tempore quo dege-neres Antigoni Sochæi (qui post Alexandri M. tempora vixit) discipuli Zadock & Baithos in multis sentientes cum Samaritanis ex malè ac-ceptis magistri sui verbis inceperint negare præmium & pœnam post hanc vitam, ceterū autem cum lequacibus suis legi scriptæ unicè adhaserint, sed quorum periculis errori-bus se majores sui omni nisu opposuerint. In hoc statu rem manlisse, usque ad Johannem Hyrcanum, qui & templum Samaritanum dirue-rit, & Sadduceos atque Baithoseos gravissimè adfixerit, sub hujus autem filio Alexandro Jannæo surrexisse Simeonem fil. Schetach, qui traditiones humanas sub specioso legis oralis nomine introducerit, à quo tempore popu-lus in duas turmas divisus sit, quarum alte-ra Doctrinam traditionum Simeonis illius se-quens רְבָנָנוּ Rabbanitorum nomen acce-pe-rit, altera basi suæ insistens, primorūmq; Sapientum & Prophetarum vestigia premens, praxique Patres suos sequens nomen Karræo-rum.

rum. Neque tamen omnes traditiones illo statim tempore sunt introductæ, sed sequentibus temporibus illis adhuc aliae additæ vid. de his omnibus R. Mardochai in *Notit. Karrœor.* p. 79. seqq. Cui narrationi tantò majori jure fidem adhibemus, quò magis Karrœorum non solum integritas manifesta est, omniaque ex fidis majorum suorum documentis depropserunt, neque ullam talia comminiscendi causam habuerunt v. *Trigland.* de *Señ. Karr.* cap. XI. sed & non pauci Rabbanitum cum illis hac in parte consentiunt. v. *Wolf.* Not. Kar. p. 87. in not. Successivè autem ab utraque parte variâ fortunâ dimicatum est, mox unâ, mox iterum alterâ prævalente, licet *Phariseis*, pro hypocitarum more atque indeole, favore plebis plerumque primas tenentibus, at omnibus nihilominus in externâ communione manentibus, donec tandem post templi destructionem, ea planè tolleretur, neque ullum amplius Rabbanitæ cum *Karrœis* commercium haberent, quin imò eos ubique tanto odio atque sæveritate prosequerentur, ut hi tandem in remotiora *Poloniae*, *Lithuaniae*, &c. loca, aut ubi sub Principum vel Satraparum umbone tuti sint, ut *Constantinopolim*, *Cabiram* in *Ægypto* &c. se recipere, suosque separatos coetus erigere cogerentur ut ex Not. Karr. & Wolf. not. passim videre est.

### §. XX.

3. Ad hæc quisquis ritè attenderit, facile  
jam,

Jam, ut credo, intelliget, minus recte rationes subduci, si *Pharisei* in quæstione de cultu secundum solam Legem scriptam aut traditiones humanas instituendo, cum *Scripturariis* & in primis *Karreis*, ut Sectæ ejusdem aut adhuc remotioris antiquitatis, eodemque aut majori adhuc jure gaudentes componantur, cùm *Scripturarii* & in primis dein ita dicti *Karrai* idem cum antiquissimâ Ecclesiâ Ju daicâ senserint, ipsámque causâ justitiam pro se militantem habeant, *Pharisei* autem serius demum nati, Legemque Dei traditionibus enervantes atque eo nomine sæpius ab ipso Servatore increpiti, Doctrinam cultumque corruerint. Tum quoque hinc porrò recte colligitur, mirum non esse, si *Scripturarii* in his turbis jus servaverint, suo more, secundum ipsius DEI præscriptum & claram Legis literam, sacra faciendi, licet impedire non potuerint, ut *Pharisei*, dum externâ specie plebem sibi captivabant, se magis magisque extollerent, & in primis in Synedrio sæpissimè prævalerent, ita ut quæ publico totius Israëlis peragenda veniebant, ex ipsorum etiam sententiâ peragerentur, illisque ut se in talibus quoque conformarent, ipsos *Sadduceos*, si ad dignitates admitti easque tueri vellent, cogerent. Quâ in re uti *Pharisei* jam non levi gaudebant prærogativâ, ita inde minimè concludere licet, eosdem etiam omnes à se dissentientes cogere potuisse, ur repudiata doctrinâ à majo-

majoribus acceptâ, & ipsius Mosis & Prophetarum verbis superstructâ, suis placitis assensum præberent, iisdemque privata sua sacra quoque conformarent: in primis cum historia rerum gestarum, & tam Scripturariorum quam ipsorum Rabbanitarum testimonia contrarium doceant, & priores in eadem Doctrinâ inde ab illis temporibus in hunc diem usque constanter permanerint, & sævissimum potius Rabbanitarum odium, cum plenariâ sui post destructum templum exclusione ex horum communione innumerisque incommodis perferre, quam, vel latum unguem, ab eadem recedere maluerint. Ex quibus omnibus, ritè & sine præjudiciis ad animum revocatis, cum pateat Josephi verba nobis planè non contrariari, sed amicè cum illis quæ evicimus, conspirare; tum quoque remotis jam difficultatibus, non solum assertum nostrum de duplice, ex SCRIPTURARIORUM aut RABBANITARUM sententiâ neomeniam figendi ratione, indéqué orto nonnunquam duplice festum Paschatos celebrandi tempore immotum perstare, sed & hoc pacto facilimè Evangelistas sino ullâ vi, verbis eorum illatâ, inter se conciliari, modumque ostendi posse, quo Servator cum magnâ Judæorum parte potuerit, integro die citius Pascha suum comedere, quam Pharisæi, & nihilominus utrius id statuto in lege die, sed diversâ ratione suppu

*Supputato*, facere, æquos rerum arbitros jam ultrò agnituros spero, non solum *Sadduceos*, seu potius *Scripturarios*, eâ quam ipsis tribui auctoritate, (si eo nomine vocanda sit) verè gavilos esse, sed & quæ tum aliis rationibus, tum huic quoque, ad tollendas de tempore ultimæ *Servatoris cœnæ paschalis* difficultates, superstruxi, hactenus salva, & quamdiu nemo commodiorem ad easdem solvendas viam ostenderit, hanc meritò præferendam esse.

§. XXI.

Calamum non solum ad finem perductæ hac Dissertatione deposueram, sed & Typotheta jam operam ad eandem prelo submitendam absolverat, cum Cl. Altingii Epistolas percurrent, ut viderem, utrum earum, quas hic subjungo, jam aliqua impressa eset, incidi fortè in duas ad *Celeb. Rhenferdum* perscriptas, quæ numero CXXI. & CXXII. leguntur, ubi Summus Philologus eandem quam *Gudins* oppugnavit, *Sadduceorum* in celebrando Paschate secundùm ipsam Legis literam, diverso à *Pharisæis* tempore, auctoritatem tam clarè agnoscit, atque inde quoque rationem, quo pacto Servator eosdem sequens uno die citius Pascha comedere potuerit, desumit, ut licet ceteroquin neque de *Karreis* aliisve *Scripturariis*, neque de diverso neomeniam figendi modo & tempore,

*Tom. I, P. III.*

Aa

præ-

præcipuo illo totius meæ sententiæ & concilia-  
 tionis Evangelistarum fundamento cogi-  
 taverit, atque adeò existimet, Phariseos præ-  
 parationem Paschatis in diem XV. primum  
 autem festi usque in XVI. distulisse, quod ex  
 illis quæ Dissertat. Poster. P. I. p. 17. attuli-  
 ultrò corruit, quin nec sententiam suam ul-  
 lis rationibus adstruxerit, non immeritò tamen  
 gaudeam, me licet id hactenus ignorantem,  
 tantum Philologum in posteriori hac lite Gu-  
 diana ομόψηφον habere, neque adeò mihi tem-  
 perare queam, quod minus ejus verba hic in-  
 tegra adscribam. Ita autem ait Epist. CXXI.  
 dixi qui factum ut Christus pridiè Pascha come-  
 derit, & Judei die insequente. Nempe cum Pharisæi  
 & Sadducæi dominarentur in populo, illi Zelotæ pro  
 traditionibus, isti hostes ejus, utrisque concessum fuit  
 exercitium ex sensu suo. Itaque Pharisæi juxta tra-  
 ditionem distulerunt Sabbathum festi in diem deci-  
 dum sextum, qui idem Sabbathum hebdomadis &  
 inde Sabbathum magnum fuit, in cuius parageve  
 mitterunt Pascha nocte proximâ comedendum. Sad-  
 ducaei verò juxta Legis literam, die decimo quarta  
 paragevem, & decimo quinto Sabbathum festi ha-  
 buerunt. Sacerdotes (qui etiam fuerunt ex Sad-  
 ducais Act. 5. 47.) & Levitæ utroque die mactan-  
 dis paschalibus agnis & sanguini adspergendo suam  
 operam accommodarunt, prout vel Sadduceus vel  
 Pharisæus eam posceret: & eum nullo negotio im-  
 petravit Christus, qui non solus sed cum omni mul-  
 titudine à traditionibus aversâ, cultum illum pascha-  
 lem

lem observavit. Et Epist. CXXII. De Paschate Christi fateor quosdam illud ejusdem diei facere cum Judeorum, ut Lightfootus, qui Job. 18: 28, passa quod comeduntur erant de pacificis intelligit, die 15. Nisan oblati: sed dubito an illa vocentur absoluē pascha. Scaligeri ratio videtur vero similior, de dilato eousque paschate ex traditione; quanquam regula vellet 14. die parari pascha: unde anomalia quadam recessum fuit. Sed Sadduceos non credo ad istas traditiones esse adstringi passos, cum ipsimet magnam partem inter Sacerdotes obtinerent. Saltem conjecturam meam ceteris &quæ probabilem existimo: conjecturam tamen à qua qui dissenserit non illicet condemnandus erroris.

V.

POLlicitus sum in præfatione, me non-nunquam etiam ineditas Virorum Clarissimorum Epistolas, quarum non exiguum numerum vel ipse possideo, vel à bonarum literarum Patronis mecum benevolè communicatas in promptu habeo, symbolis hisce inserturum esse. Quod tamen ita fiet, ut non omnes sine discrimine Lectoribus obtrudam, sed illas tantum quæ aliquid scitu dignum continent, quo five sacris literis aliisque scriptis aut scientiis, si-

Aa 2

ve

ve historiæ denique literariæ lux quæ  
qm accendi queat. Et has quidem  
integras dabo, nisi fortè, quædam ad  
res tantum domesticas, aut alias quæ  
scire alterius nihil interest, spectantia in  
illis occurrant, quæ omissa esse parvis  
quibusdam lineolis indicabo. Initium  
autem cùm maxime fiet quibusdam li-  
teris, insignis quondam Theologi at-  
que Philologi JACOBI ALTINGII,  
ad Virum S. Venerandum atque Erudi-  
tissimum HERMANNUM COC-  
CE JUM, dum viveret Pastorem ad  
ædem Divæ Virginis Primarium facun-  
dissimum. Viri longè Celeb. GER-  
HAROI COCCEJI, de quo fusius dis-  
serui in not. *Orat. Inaugur. de Illustri  
Bremenstium Schola &c subjunctis p. 90. sq.*  
filiū datis, cuius dignissimi filii, Viri  
Amplissimi atque Consultissimi HE N-  
RICI COCCEJI U. J. D. & Reip.  
patriæ Senatoris meritissimi, benevo-  
lentiæ, Lectores nostri easdem nobis-  
cum dehent, cuique eo nomine h̄c pu-  
blicè gratias ago.

## I.

*S. P. Vir Reverende, Amice charissime.*

Quam desiderata mihi fuit Tui promotio  
ad Ministerium Ecclesiæ, tam grata ac-  
cidit, ubi impetratam accepi. Quod licet  
prorsus taceam, non potest tamen Tibi igno-  
rum esse, siquidem me satis nosti. Sane pri-  
vata mea commoda haud magis me afficiunt,  
quam Tuum istud gaudium. Gratulor pro-  
inde ex animo, verè, Germano, Deumque  
veneror, ut sicut stationem assignavit, sic  
eas largiatur vires, quæ tanto muneri suffi-  
cient. Hæc vota mutuū debemus & postu-  
lamus, quotquot rem intuemur uti est. Sed  
quibus ministerium nihil aliud est quam virtæ  
sustentandæ medium, ut ex arte quam didi-  
cerunt se familiāmque alant; facile pensant  
labore, quod consequuntur præmium, sua  
opinione; dummodo homilias quasdam reci-  
tent, reddituro in singulos annos penso.  
Queis vero major religio, nunquam sibi fa-  
tisfaciunt, qui nunquam caliginem mentis  
penitus exuunt, balbutiemve linguae; licet  
utrique malo indies aliquid demere annitan-  
tur. Hos inter Tuum nomen jam dudum  
professus es, uti ego meum quotidie profi-  
teor: quod institutum telæ jam detextæ somni-  
um longè amolietur, adeoque non ad so-  
mnum invitabit, sed ad vigilias excitabit: ut

Aa 3

non

non Traditivæ solūm magis adsueſeamus, ve-  
rum ipsius DEI vocem exaudiamus, intelli-  
gamus, aliisque inculcare valeamus: quæ  
ſola ratio interpretes DEI constituet, cum  
alias non niſi hominum futuri ſimus. Utī  
vero Tibi, ita Ecclesiæ quoque gratulor, cui  
de fideli vigile prospectum eſt: utinam mo-  
do auris & animus ſemper & vacivus, &  
pronus ſit ad excipiendas & obsequio expri-  
mendas ſalutares adhortationes. Sic mutuō  
gaudebitis felicēſque eritis. Tranſeo ad alia.  
Doct. Köhne mihi viſus non fuit, miſit au-  
tem Tuas cum in procinctu ſtaret ut hinc abi-  
ret. Alteras D. Emmius nudius tertius ob-  
tulit. . . In Academia D. Junius invaſit Re-  
eturam Maresio procurante. Hic adhuc in Galliā  
eſt: unde nunciavit, Montalbani plus quam  
60. familias ſimul defeciffe ad Pontificios.  
Hi ſcilicet ſunt fructus ejus Theologiæ, quæ  
ſapienſiæ & eloquentiæ humanae ſolūm stu-  
det, fastiditâ ſimplicitate verbi, neglectâque  
ipsâ ſpecie pietatis, cujus virtus ſola Chri-  
ſtianos oſtendit. Exemplum iſtud noxam  
magnam dabit, forſan etiam persecutionem.  
DEUS eam clementer avertat, aut sanctifi-  
cet, ut explorationi cedat. Cujus tutelæ  
Te tuōſque labores novos animitus com-  
mendo. Et cum ſalute & gratulatione, etiam  
ab uxore mea & Fratre, Optimam Matrem,  
Conjugem, Sorores cum plurimum valere  
jubeo.

P. S.

P.S. Cum meas complicaturus essem, nunciatur heri in comitiis actum esse de libro Netheni Theologi Ultrajectini contra Maresium, quo etiam nostrates nobiles taxantur, quod boha Ecclesiæ invaserint. Decretumque, ut ad Magistratum Ultrajectinum Provinciae nomine querela deferatur de Netheno, ejusque postuletur Censura. Artes Galli hic videre est, qui absens etiam Politico brachio adversarios premit, ne Papatui ejus quisquam ausit contradicere. Sed hæc Tibi soli. Vale. Dab. 14. Sept. 1661.

*Tuus q. n.*

## II.

S.P. Reverende & Doctissime Vir, Sym-  
mysta & Amice charissime!

Gratulationis officio nuper defunctus sum:  
bene precandi nunquam defunctus ero,  
dum uterque superstes: quandoquidem mu-  
tua vota petimusque damusque vicissim: --  
Decretum comitiorum, quod Nostro <sup>נָסְרָן</sup>  
pariter imperabat silentium à Col. Tiaffens  
eousque mutatum, ut istius nomine inducto  
libertas, defensionis scil. relicta sit, solo ad-  
versario damnato, in cujus caput Ultrajectini

Aa 4

Ordi-

Ordines concitandi sunt. Vides quantus gradus Diotrephi structus sit, ut ad Papatum ascendat: quāmque gravis deinceps futurus ejusdem dominatus, nec tutum hiscere subdura tyrannide. Felices eapropter existimo quibus libertas alibi parata est, quam aliquis Collegarum nostrorum sibi ostentatam gaudet, & oblatam amplexabitur. Ego quoque subinde jam improbo priora consilia, quod iterato & quidem honorificentissime sollicitatus Heidelbergam, non cesserim; quod tentatus Franekeram aures non præbuerim. Quod si rursum ad similes conditiones invitarer, sive Leydæ, sive Ultrajecti, non multum me retinerent præsentes necessitudines. Lugdunum Ultrajectumque nomino, non quod inde aliquid sperem, nedum mihi pollicear, (nam huic ob vicinum invitus sum potius; illi ferè ignotus, ut qui scriptionibus Theologicis famam non sum aucupatus multum, in umbra Hebraicæ Professionis latitans totos jam 18. annos:) sed quod Respublicas Principatu magis amem, tenax libertatis. Si Celeb. Patruo Tuo meum Schilio lectum probatumque esset, pariterque D. Heidano, haberem forsitan in ipsis Patronos: quos tamen adire & prensare ambitiosum nimis existimo. Verum quo me provexit xgritudo. Inducerem omnia atque abolerem, ni certus forem in amici sinum omnia me effudisse, qui indicium gratum habiturus sit, indi-

indicesque literulas ne proditores fiant mox laceraturus. Qui in Vestras ædes successit, absente D. Maresio rursum speculam fieri curat supra Academiac tectum, ut aream ejus omnem oculis habeat subjectam. Ingressus, est ex obscuro conclavi quod ante museum paternum erat. Sunt qui dicant ab ipso fenestras meas aream vestram spectantes obstructum iri. Tantum est. Vale optimæ, Deo commendatissimus & cum Uxore & Filia à nobis omnibus salve. Dab. Groningæ d. 20. Sept. 1661.

Tuæ R. studiosissimus

J. Alting.

### III.

S. P. Vir plurimum Reverende, Sym-  
mysta & Amice charissime!

Gaudeo vehementer de vestrum omnium valetudine quam Cl. D. Andreæ nunciavit, & Tuæ confirmarunt: tametsi hæ indicium fecerint & præteriorum incommodeorum in morbis liberorum, & futuri ab instantे Uxorius puerperio: Quæ ut feliciter transeant DEUM veneror. Tu vero conspirasse mihi videris cum Uxore, qui pariter operam datis, ut hæc honesto titulo eludat.

A 2 5

ami-

amicos, quos æstate vigente salutasse par erat.  
 Nostra hic eodem sunt loco: In Republica  
 mediocris quies est. Simultates enim, ma-  
 gnatum ambitio, & auri sacra fames nun-  
 quam deficient. In Ecclesia nondum conve-  
 nit de nono pastore; Ex quatuordecim nu-  
 per nominatis, (quorum nomina actorum  
 codici non passus est inseri Senior,) delecti  
 sunt tres, qui audiantur, Keuchenius,  
 Thrommius, Eissonius; & iuperadditus quartus  
 de Mey Steenwicensis pastor. Quis ve-  
 ro obiturus sit votis studiisque contrariis adeo  
 adhuc in ancipiti est. Academia prisco loco  
 est. Brandenburgicus Historiographus in  
 Marchiam iter parat, hero se stiturus. Sunt  
 qui augurentur exemplum fore illius diverbi,  
*Minuit praæntia famam.* Accedo ad illud ca-  
 put Epistolæ, quo a me petis de Bileami va-  
 ticingo edoceri, si quid novè meditatus sim:  
 quod Te meo indicio cognovisse significas.  
 Evidem memini cum Bremæ Tibi adessem,  
 aliquid hujus indicasse. Ut vero transcribam  
 quæ hodie meditatus sum, id quidem nequeo,  
 quia nihil hujus notatum habeo, utpote in  
 omnibus istiusmodi consignandis tardus &  
 negligens. Attamen quod memoria sugge-  
 rit non pigrabor adscribere, si fortean com-  
 modo Ecclesiæ cedere queat. Ut à communi  
 interpretatione recederem, effecit potissimum  
 hoc membrum vaticinii שָׁת בְּנֵי כָּל-

Prima

Prima h̄ic difficultas mihi est de filiis נָשָׁי. Proprium nomen esse agnoscunt plerique, filii Adami, qui post patrem autor potest dici universi generis humani, quia ab ipso descendit Noachus, omni posteritate Kaini, & Abelis quoque, si quam habuit, imo reliquorum etiam fratum ejus diluvio extincta. Quam obrem Chaldeus כָּל בְּנֵי אֹנֶשֶׁא reddidit rem ipsam dicens. Hieros. Targum habet כָּל בְּנֵי מִרְכָּחָא omnes filios Orientis. Targum Jonathani adscriptum, Omnes filii Seth, caſtra Gogi, qui aciem bellicam instruerent contra Israelem, & omnium ipsorum cadavera cadent coram ipso. Appellativum esse afferit Jūnius, qui & textum & notas Tremellianas mutavit, cuius mente reddendum, Omnes filii podicis: h. e. qui pone sunt; à tergo videlicet Bileami, qui cum toties mutarit stationem, difficile est statuere quæ gentes à tergo fuerint: præterquam quod hæc phrasis Scripturæ ignota prorsus sit, quæ à tergo esse solet affirmare, quæ pone aliquem sunt. Idem Junius aliam quoque producit expositionem, omnes filii obſidionis, h. e. qui hostili animo sunt, olim obſessuri. Sed quid ni ipse Israel dicatur filii sedis seu caſtrorum, qui totis 40. annis in caſtris egerant? Deodatus, qui vocem Seth retinet, putat intelligendos filios fundamenti, hoc est rectores & principes populi, quos modo dixerat angulos Moabi, pari metaphora ab ædificio, ejusque firmioribus partibus. Afferit etiam, quosdam putare Moabitæ.

bitas se à Setho prognatos jactasse. Causa tam variæ interpretationis est omnium consensus in voce קְרָכֶר, quod ea destructionem notet ex illo Esa. 22. vs. 5. מִקְרָכֶר, destruens murum. Hanc vero cum omnibus hominibus obventuram incommodè diceretur, quæfovere effugia, ut verosimilia dicentem inducerent Bileamum. Olim cum hoc dictum pro Concione explicarem, fecutus sum primam sententiam, *Et omnes filios Seth, omnes homines ex Setho progenitos, destruet, subactos convictione Evangelii ex 2 Cor. 10. v. 4. 5.* Sed habet hæc quoque interpretatio incommodum, quod faveat Universali Gratiae, & excipiat Moabitæ, Edomæos, Seiritas ab universitate hominum. Igitur ad aliam rationem me converti, quæ num mage probabilis sit, aliis judicandum relinquo. In postremo vaticinio Bileamus continuam facit oppositionem Ecclesiæ & hostium ejus, & quid istis incommodi, illi commodi exspectandum, denunciat. Quod ipsum clavis instar mihi est, ad explicandam controversam clausulam: qua non hostium damna, sed Ecclesiæ felicitatem descriptam voluit. Ecclesiam vocat filios Sethi, memor declarationis Evæ, cum Sethum perisset, quæ hunc Semen promissionis dixerat, quod Abeli à Kaino trucidato successisset. Bileamus enim, licet non ignoraret segregationem posteritatis Jacobi in populum

lum D E I, non tamen omnes toto mundo  
 homines exclusos putabat à jure Ecclesiæ,  
 (unde justorum extremum sibi quoque op-  
 pat) quin imo Israelem sub filiorum Sethi no-  
 mine comprehendit, non minus, quam Se-  
 thus, constitutos & servandos, quamvis Moa-  
 bus, eodem quo Kain animo, destructionem  
 ejus moliretur. Fuit namque hæc prima di-  
 stinctio Ecclesiæ ab impiis in mundo facta;  
 quando Sethus ejusque filii à Kaino ejusque  
 prosapia segregati sunt, qui filii D E I vocati,  
 his filiorum hominis nomenclaturā relictā. Fe-  
 licitas Ecclesiæ voce קִרְבָּה designatur. Ea  
 non componenda cum simili Esa. 22 v. 5. quam  
 per paronomasiam effictam quivis videt; sed  
 aliunde arcessenda. Bileam habitabat in Sy-  
 ria Num. 23. v. 7. versus Orientem, ad Eu-  
 phratem: (unde & Chaldæa punctatio, non  
 Hebræa קִרְבָּה) ut peritum fuisse certum sic  
 linguarum vicinarum, saltem ut nunc vocan-  
 tur; nam tum forte communia fuere vocabu-  
 la, quæ hodie apud Arabes querenda. Hic  
 vero קִרְבָּה significat intransitivè, quod etiam  
 קִרְבָּה Chald. & Rabb. frigescere, transitivè re-  
 frigeravit, & metaph. refrigeravit animum, con-  
 tentum sua sorte redditum. Item firmavit, confir-  
 mavit, stabilivit, confiteri fecit. Significatio  
 porro תְּפֵה Pahel, ubi repeti solet in geminan-  
 tibus medianam radicalis prima, transitiva est.  
 Sic igitur sensus apertus, & plenus ex op-  
 positi.

positione continuâ: Procedet stella ex Jacob, & surget scipio ex Israele, & vulnerabit, percutiet (scipionis vi) angulos Moabi, qui offensam dare student incidentibus: & confirmabit, (animam refrigerabit consolatione quâ nova stella, luce sua coruscans,) omnes filios Setbi, promissionis vi in Semen Mulieri prime positos. Et erit Edom, Esvi posteri, hereditas, & erit Seir, Horaeorum posteritas, quæ Esavitis commixta in unam gentem coaluit Gen. 36. hereditas hostibus suis; Israel autem exercebit robur, hostium illorum subjugatione Obad. vñ 20. 21. Dominabitur enim qui ex Jacobo est, stella & scipio dictus, Perdet autem residuum ex urbe, capitali hostium, ubi sedes regni hostilis. Vides hîc nihil contorti coactive dici, sed sua sponte quasi se dare: neque ambiguitati locum relinquiri: adhæc non minus efficaciam singularem tribui Messiae quâ Stella, luce sua solatium præstanti & suos confirmanti, quam quâ scipio, percutienti, vulneranti perdentique hostes. Quæ omnia, si luberet, ulterius deduci possent, (& fortè aliquid per disputationem fiet,) sed pro modo epistolæ satis copiosa sunt. Si quid his juvari queas, equidem gratum erit, sin minus, saltem juvandi studium non defuit. Nam quo minus hoc semper præstem facit communis conditio, a qua me quoque non alienum ingenuè profiteor, *Omnis homo mendax, Deus solus verax.* Quæ de Baptismo Profelytorum commentatus sum an quid putas lucis affer-

afferre ritibus nostri baptismi? nam quid ſentias, non expreſſisti. Doleo Cl. D. Hipſte-  
dio prælatum, - - juuenem Veterano:  
qui quid poſſit in Theologicis non una Dispu-  
tatione oſtendit. Sed favore credo apud vos  
quoque res agitur. Verum charta modum  
ſcriptioni imponit. Vale igitur & hæc ab ami-  
ca mente profecta æqui bonique conſule:  
Deoque commendatus cum uxore & liberis,  
matre ac fororibus, ac amicis multum ſalve.

P. S. *Refrigeratio* metaphorice de *animi tran-*  
*quillitate* accipitur etiam Rabbinis: unde  
קָרְבָּת־רוֹת quam futuri quoque ſeculi facit  
quidam R. Jacob in Abhoth cap. 4. §. 17.  
Datur & alia interpretatio קָרְבָּר,  
vid. *glocitare galline*; quomodo in Aruch  
citatur explicatio illius Eſa. 22. vſ. 5.  
הַקְבִּיחָה ex Taanith fol. 29.  
מִקְרָךְ עַלְיוֹת כְּתָנָגָלָת שְׁמַקְרָרָה  
על בְּנֵיה פִּירֶשׁ מִקְרָךְ קָרָר וּשְׁוֹעַ אֶל דָּרָר

S. Benediſus ille glocitat propter iſlos, uti  
gallina glocitat propter pullos ſuos, interpre-  
tatio eſt illius, glocitans ad parietem, & cla-  
mor ad montem. Sic vero percussioni  
Moabi, opponeretur glocitatio alliciens  
omnes filios Sethi, Eccleſiam univer-  
ſam, non tantum Israeliticam, ſed etiam  
ex gentibus ad communius principium,  
Sethum pari cum Israelis jure pertinen-  
tem

tem: & hoc respiceret ex parte Christus Matth. 23. v. 37. Dabam Groningæ 9. Julii 1664.

Tuus ex animo

J. Alting.

IV.

S. P. Vir plurimum Reverende, Sym-  
mysta & Amice honorande!

**Q**ui postremas Tuas attulit Nordenholtius adeo vespertinus advenit, ut me jam decūmbente literas per ancillam offerri curaverit: ipse postridie summo mane iter in Hollandiam prosecutus est: neque mihi haec tenus visus, ut nondum rediisse existimem. Ubi hīc larem fixerit, & mea opera juvari poterit, atque etiam voluerit, ostendam quanti Tuam faciam commendationem: quamquam cā virtute ipsum deprædices instructum, quæ bonorum amorem queat conciliare: ut etiam proprio nomine foveri mereatur. Tilemannus hactenus hinc abest, uti conjicio Coloniam profectus, ut præsens æstimet conditionem, quam Parenz ejus identidem ipsi commendavit. - Disputationes duas Philologicas, si quæ adhuc penes me sunt exemplaria, faxo ut habeas, quando opportunus iator obtigerit. Addam primam Theologicam de Notitia DEL insita ex Rom. I. v. 29. quam ante

ante ferias proposui. Huic succedent duæ  
tresve specialiores, sed quæ maximam par-  
tem ex Scriptura ducentur, unde, si per Col-  
legas liceat, etiam Trinitatem natura notam  
ostendere conabor. Cæterum de iis quæ Ti-  
bi mitto judicium Tuum deposco, ut colla-  
tis sententiis mutuum proficiamus. De Psal-  
mis illis perstat sententia, historicos esse,  
non Propheticos: de aliis autem Propheticis  
scriptis vix adducor, ut de nobis quicquam  
sigillatim prædixisse credam. Israelem plera-  
que vatum V. T. concernunt; de gentilibus  
horumque conversione non aliter ferè lo-  
quuntur, quam ut ad æmulationem provo-  
cent suam gentem, per eos qui non fuere  
populus; unde & non nisi per accommoda-  
tionem aliquam ad nos transferri existimo:  
quin ut paradoxum habeas quod mediteris,  
haud puto dari textum, ubi Israelis nomen  
fideles ex gentilitate designet; & qui ceu  
evidentissimus produci solet Gal. 6, vs. 16 mi-  
hi hoc ipsum quod dico confidere videtur.  
Sed manum de tabula . . . Uxor mea me-  
cum prolixam salutem lectissimis Matri, So-  
roribus & Ixori cumprimis, gemina indigæ  
adscribit; modum non pono quo etiam pro Te  
sufficiat, atque aliis quoque amantium faven-  
tiumque impertienda redundet. Vale & ama

Groningæ 13. Aug.  
1667.

Tuum ex animo

Tom. I, P. III.

Bb

J. Alting.

V.

*S. P. Vir Reverende, Doctissime, Sym-  
mysta & amice dilectissime!*

Rite accepi responsum Tuum ad meas, &  
amorem candoremque Tuum non per-  
spexi modo, sed etiam exosculatus sum. Quo-  
niam autem Tilemannus vester opportunita-  
tem pollicetur remittendi epistolam, hanc,  
dum abest, adornare constitui. Ipse enim  
Franekeram concessit, ut inde Doctor redeat,  
aulæ, ad quam vocatus est, majori cum di-  
gnitate, uti retur, se stiturus. Non videba-  
tur alienus a suscipiendis honoribus in hac  
Academia, sed ego eum sum amolitus, quod  
in Frisia studiis Theologicis potissimam ope-  
ram impendisset, & fidem etiam petendi  
istic Doctoratus jam olim Valckenierio de-  
disset. Sed erant mihi quoque privatæ cau-  
ſæ, quas facile conjectando deprehendes. Di-  
sputationes, quas per illum nuper misi, non  
displicuisse, non tantum de præteritis gau-  
dium, sed etiam de futuris fiduciam parit.  
Constantiam Hebræi sermonis post exilium  
Babylonicum Tibi propemodum persuasisse  
volupe est. Quod de Psalmis adhuc hæsitas,  
& Propheticos mavis, id facilè fero, haud  
quaquam tamen credo: & nomen præscri-  
ptum mihi potius quam Tibi favere arbitror,  
falem Psal. 89. Largior nihilominus utra-  
que

que manu Propheticos multos dari non solum complementum olim sortitos , sed qui adhuc illud exspectant. Specimen Theologicarum Disputationum calculum Tuum meruisse lætor , quanquam id a Te exspectabam quoque , cum exegetica istiusmodi potissimum Te afficiant. Quin polliceor mihi haud aliter sequentes ejusdem argumenti exceptum iri : non modo quæ more & sensu recepto loquentur , sed & quæ paulum inde recedentia. Tu vero subrisisse Te fateris , quod me id facturum dixerim , siquidem per Collegas liceret. Ad Tibi prorsus seriò ridendum , quod aliquid ab illorum mente alienum tentare ausim ; exploratum enim habes , quantopere adversentur , si quis a traditivæ vel latum ungem declinet. Faciam tamen periculum , omissurus si ipsis secus videbitur , & pressurus veritatem donec profiteri apertè fuerit opportunum. Dogma ipsum , quod Tibi æque ac aliis a natura absconditum judicatur , naturali notitiæ annumerari , paradoxum esse fateor. Sed quid refert esse παράδοξων , dummodo non sit παρά διληθεῖαν : mundus regitur opinionibus : qui ex mundo transierunt in Ecclesiam , veritatibus regi par est. Talem hīc assertum eo , Scripturæ secutus fidem , quando de homine naturali loquitur. Negas aliquid ejus generis Tibi hactenus observatum ; ego vero observari potuisse certum habeo , imo non magis fortè obscurum

Bb 2

habi-

habiturum, quam alii navigationem in Americam, postquam Columbus primus viam præiverat. Tria habeo testimonia rei probandæ, Gen. i. v. 27. Job 35. v. 10. 11. & Joh. i. v. 4. 5. ex Belgarum annotationibus. Hæc ubi ritè expenderis, priora maximè, assensum Tuum propemodum polliceri ausim. Dictum Col. 2. v. 2. quod adversari putas, planè alienum est à scopo, cum mysterium dicat quod concernit Christum mediatorem, & DEUM quā pater est in Christo. Simpliciter si accipias omnia, pariter mysterium erit esse DEUM; quod prima disputatione confutatum fuit. Quæ à Platonicis & his antiquioribus in eam sententiam dicta sunt, non omnia conficta esse dixero, neque hausta ex Mose ejusque monumentis: nam hīc similia adeo perspicuè non leguntur; quod si fieret, non adversarentur tam multi huic sententiaz. Sed & hujus apud Mosen silentii causa manifesta est; naturalem notitiam hic non tradidit, sed præsupposuit, culturamque naturali lumini reliquit: supernaturalia, divinitus revelata, propalare unum ejus fuit munus ac studium. Verum discipuli ejus huic institutioni solum attendentes, priorem neglexerunt, ut ferè tota in oblivionem venerit. Quemadmodum hodie fieri solenne est. Notitiam DEI quotusquisque ex naturali lumine vel querit, vel assequitur? quia verbum habemus certiorem doctorem, inde omnes DEUM

DEUM nosse volumus, sed in nosmet ipsos descendere non solemus; quod & molestum sit, & errori atque imperfectioni obnoxium, & quamvis plenissimè omnia assequi pote foret, nequaquam sufficiens ad salutem, quam ex eâ cognitione duntaxat sperare licet, quæ non tantum unum verum DEUM, sed etiam JESUM Christum ab eo missum, agnoscit, adeoque non nisi ex speciali revelatione hauritur. Veruntamen quando Trinitatem sacrosanctam, vel pluralitatem Personarum, natura notam assero, non mihi sumo ut ostendam quid sit, sed tantum quod sit. Nam aliorum hominum more in memet ipsum nunquam ita descendi, ut quid & quantum ibi scriptum fuerit deprehendam; sed revelationæ institutioni & fidei plus securitatis inesse certus, labori illi tempus atque operam impendere supersedi.

Secundum assertum quod attinet, nihil a Te productum observo, quod me dimoveat a sententiâ. Prophetæ V. T. Israeli dati, hujus unius curam habuerunt, hujus fata descripsérunt. Quemadmodum Apostolis Christi, ante hujus glorificationem per adscensionem, non licuit ire ad gentes, ita neque Prophetis veteribus; uti nec Christus ipse eò concessit, missionis suæ memor: Qui tamen regnum DEI a Judæis ablatum & Gentilibus datum iri brevissime dixit; eodem modo quo Prophetæ per non populum Israelitas ad æmu-

B b 3 latio,

lationem provocandos prophetarunt. Sed uti Prophetæ vix attingunt secula illa omnia apostasiæ Judaicæ præsentis, contenti commemorasse ejus initium & finem duntaxat, quando suæ curæ esse desierunt, atque rursum esse incipient, intermediis temporibus non commemoratis, utpote quæ sunt alienationis ab Ecclesia: ita quoque Gentium nullam habuere curam, pariter a foederibus alienarum, nisi quatenus prædixerunt harum accessum. Historiam conversarum Gentium Prophetæ V. T. non persequuntur: quæ hujus generis sunt ex Actis ac Epistolis Paulinis & Apocalypsi arcessenda sunt. Attamen extremam Anti-Christi ruinam sub nomine Edomi & Babylonis satis copiose ac pathetice prosequuntur, quoniam Israelis prisci restitutio illud temporis momentum mox excipiet, ut ad suam quoque functionem inter Israëlitas ejus indicium pertinuerit. Quod verò particularis aliquis Ecclesiae Gentilis, unius nationis, curriculum delinearint, id prorsus non video, & quicquid hujus generis est, meram conjecturam esse autem.

Tertium assertum Tibi non novum solummodo accidisse animadverto, sed etiam inutile viatum, atque odiosum: quamobrem scrupulus Tibi h̄c eximendus. Si scopum Epistolæ ad Galatas attēndas, hunc unum inveneries Apostolum docere velle Gentiles Evangelium amplexos non teneri Judæorum ritibus

bus. Quod cum variis probasset argumentis, tandem cap. 6. v. 16. concludit: *Quotquot igitur (vestrum nempe ex Gentibus ortorum) secundum hunc canonem incesserint (ut novam se ostendant creaturam in Christo IESU, quod neque a circumeisione, neque a præputio dependet) super illos erit pax & misericordia, & super Israelem DEI; h. e. Gentiles fideles non secus ac Israelitæ beneficia ista consequentur, qui videlicet non tantum secundum carnem, sed simul etiam secundum spiritum Israelitæ sunt, ita filii Israelis naturales ut pariter DEI sint. Nam fideles ex gentibus æquare vult fidelibus ex Judæis, & consortes constituere eorundem commodorum. Sic verò neutram inficior distinctionem Israelis carnalis & spiritualis, idemque Judæi in propatulo & in occulto, sed quod itidem poscit scopus Apostoli Rom. 9. & 10. priorem sine posteriori considerandam dico, posteriorem autem non sine priore: cum utrobique in gente Judæa seu Israelitica differentiam statuat, non autem extraneos sub eodem nomine complectatur. Hoc igitur me dicere jubet Scriptura, & verum ejus sensum reddere studiosorum ad veram intelligentiam deducendorum commodum. Quos porro textus ceu mihi adversantes producis ex V. T. nihil omnino me laedunt. Mich. 5. de Messia vaticinatur Propheta, eumque regem universalē fore dicit totius Ecclesiæ ex Israele*

B b 4

&amp;

& gentibus colligendæ; sed quomodo id ostendit? dicit oriturum ex Juda & dominaturum Israeli universo, quando nempe residuum fratrum (de regno Judæ) convertentur cum Israelitis, (de regno X. tribuum); quod ubi consecutus fuerit, tum demum erit dominator in Israele Luc. I. v. 32. 33. Gentes vero ipsi parituras affirmat, quia magnum fore ait, usque ad fines terræ, juxta illud Psal. 2. v. 8. Act. I. v. 8; Esa. 49. v. 6. Minus adhuc momenti invenio in dicto Zach. II. Etenim quicunque utroque pedo pastorali regendi proponuntur, sunt oves occisionis, occisioni destinatae; quas non nisi Israëlitæ esse, non puto Te inficiaturum. Ceterum fraternitatem aliquam etiam stante secundo templo viguisse inter Israelem & Judam illa loca confirmant, quæ nonnullos decem tribuum post exilium Judæorum Babylonicum una rediisse testantur, (qualia non nulla in Schilo a me producta memini) & testantur Epistolæ Jacobi & Petri, nec non Paulus Act. 26. v. 7. Hæc vero fraternitas post repudiatum Christum & eversam Politiam Judaicam ita succisa est, ut ab eo tempore perierint genealogiæ, neque quisquam docere queat, ex qua tribu oriundus sit. Ast Esa. 44. v. 5. promittitur, quando Israelitæ omnes colligentur, tum etiam patefactum iri originem universorum, saltem quotquot ex Israele & Jacob descenderunt id sibi gloriaræ

riæ ducturos, & professuros publicè; cum ante puderet originis, dum sub ira DEI & odio ac contemtu gentium viverent, prius quam converterentur. Dictum Rom. II. V. 26. Israelem manifeste opponit conversis ex Gentibus, & id probat testimonio Esa. 59. ubi Zion itidem de Israele intelligendum, quum eò venturum dicat Redemptorem, qui ad Gentes per Evangelium jam venerat. Abrahami filii sunt quoque fideles ex Gentibus, imitatione fidei ejus, sed nunquam iidem appellantur filii Jacobi. Rursum fideles ex Gentibus ad cælestem Hierosolymam relationem habent, non autem ad terrestrem, unde tamen primum prodiit Evangelium: & politeuma cælesti omnes omnium nationum fideles commune habent, sed politia Israels non eadē latitudine usurpatur. Quæ dum observo nequeo deserere quod scriptura docente didici, nec confundere, quæ illa monet distinguenda. Interim laudo quod ante examen instituas dictorum quam credas interpretationi, & gratias ago, quod scrupulos Tuos aperire fueris dignatus. Imo confido, ubi quæ a me opposita sunt expenderis, minus alienum Te fore a mea sententia, aut reperturum firmiora, quibus Tuum stabilias, & me quoque in eandem traducas. Adhuc dum uni illi principio innitor in rebus Theologicis, DEUS solus verax, omnis autem homo mendax: adeoque nec mihi nec aliis vel credo

do ipse, vel alios credere velim, sed ex <sup>a</sup>  
nnium sermonibus illud duntaxat admittere:  
quod Divinæ revelationi consentaneum de-  
prehensum fuerit.

Venio tandem ad alia. Academia nostra  
solo D. Oiselio destituitur, quem in dies sin-  
gulos exspectamus. Bertlingius hodie intro-  
ductus. In Ecclesia agitur de novo Pastore  
eligendo, foveatque aliquam spem noster  
Abbringa, qui inter nominatos plura tulit  
suffragia: sed Emmius Sen. laborat pro affi-  
ne suo Petræo, qui num prævalitus sit  
suo patebit tempore. - - Nordenholtius  
vester semel mihi adsuit, & suam modestiam  
& pietatis studium probavit. - - Si quid  
gratificari potero, etiam Tuam ob commen-  
dationem lubens faxo. Dab, Groningz 19.  
Septemb. 1667.

Tui longè amantissimus

J. Alting.

## VI.

Habes hic, Vir Reverende, Symmysta  
dilectissime totam Disputationem meam,  
quam ad asserendam notitiam naturalem Tri-  
nitatis concepi. Eam integrum describen-  
dam putavi, ut Tibi succurrerem, & con-  
spici-

Epicillum suppeditarem meum, quo juvante  
forte videres in illis locis quos olim notave-  
ram, quod Te vidisse haec tenus negas. Simul  
etiam oculis Tuis subjiciendam putavi totam  
aciem meam & ordinatas phalanges: qua-  
rum Tibi non permitto tantum sed deman-  
do lustrationem, ut quid de iis sperandum  
putes, ex Te cognoscam. Haec tenus in  
Acad. nostra Disputationes silent, differenti-  
bus suo more studiosis istiusmodi exercitia,  
usque ad instantes ferias. Sic & haec & duæ  
præcessuræ in museo latent. Verum haec  
procul dubio plures inveniet antagonistas.  
De cuius testimonio Joh. i. miror quam in  
Interpretes Belgas censuram stringas, quod  
luce naturæ & Christi notitiam parabilem fa-  
ciant: quod illi utique non dixerunt: Sed  
video quæ Tibi suspicionis causa sit, & hanc  
ubi dixero simul videbis quam faveant mihi.  
Ajunt illi ad notitiam Filii DEI potuisse per-  
tingere; Tu substituis Christi nomen, quasi  
Christus & Filius DEI idem forent. Atqui  
haec multum differunt, illud naturæ no-  
men est, hoc officii. Illud ab æterno fuit,  
hoc in tempore esse cœpit. Filius DEI cre-  
avit hominem una cum Patre & Spiritu S.  
sed non potest dici Christum eum creasse:  
necdum enim erat Christus, cum homo  
crearetur, nisi in decreto: cœpit autem es-  
se Christus, quam primum per promissio-  
nem patefactus fuit. In statu integratatis  
Chri-

Christus cognosci non poterat, qui non nisi post lapsum per Evangelium fuit manifestatus: Sed potuit Filius DEI; atque hoc etiamnum per naturæ lucem fieri posse affirmant Belgæ; mihiq[ue] præeunt. De cognoscendo Christo nihil h[ic] dicunt, ut qui idem prorsus Tecum sentiunt. Hanc distinctionem si attenderis, & ad locum Col. 2. responsum videbis. Quæ nomen Israelis concernunt, pertinent ad ἄνθρωποις. Vocari gentes filios Abrahami scriptura docet, ejusque argumenta dicit Rom. 4. cap. Gal. 3. v. 14. filios Israel non item. Eph. 2. Gentibus parrem cum Israelitis facit accessum ad DEUM, ad Ecclesiam, quam civitatem & domum DEI nuncupat, sed non ad politeuma Israelis, non mage quam ad foedera promissionis quæ pariter Israeli tribuerat, cum utique Gentes non nisi unius foederis communionem consequantur quod Abrahami fuit, gratiæ & fidei nequaquam alterius & quod Israelis quoque fuit, Sinaiticum videlicet & operum. Applicationem prophetiarum specialissimam ad particulares Gentilium Ecclesias, necdum possum admittere. Si quid reperiatur consentaneum, ingeniosam potius accommodationem esse reor, quam intentionem scriptorum sacerorum. Cantici Canticorum propheticam expositionem dedit quoque Cotonus Anglus, sed ille ab ætate Salomonis oritur, & ætates reliquas V. T. tum eas quoque

Que N. T. præteritas præsentem & futuras  
pari ferè singularum prolixitate persequitur.  
Ego hic ~~ixxv~~. De præsentibus potissimum  
iis, quæ salutem certam reddant, mage sol-  
licitus, futura eventa nondum meditatus sum:  
territus & præjudiciis & prædamnationibus,  
si quis Traditivæ aduersetur. Quamvis ea  
& in aliis suam exerceat tyrannidem: quam  
nunquam sic respiciam, ut Scripturæ voci  
aures, luci oculos occludam. Nondum illa  
dentes & unguies suos mihi ostendit, & opto  
nunquam ostendat: an voto potitus sim  
DEUS & novit, & moderabitur optimè.  
Hæc ad Theologica. Reliqua quod attinet,  
gaudeo & gratulor valetudinem redditam,  
familiam auctam, pueroram satis valentem,  
proximos incolumes. Charta deficit. Salve  
cum Tuis & vale.

19. Nov. 667.

Tuus J. A.

## VII.

*Hermannus Coccejus Ecclesiastæ Bremen-  
sis, Symmystæ suo, S. P. Jacobus  
Alting.*

*R*edeunte ad Vos Vestrate Tilemanno,  
non fuit negligenda opportunitas scri-  
bendi, quâ tamen sic uti placet, ut quæ pu-  
blicè  
*Tom. I. P. III.*

Ce blicè

blicè geruntur ipsimet latori nuncianda relinquam. Respondebo igitur ad Tuas per Sonnemannum allatas, qui quidem hactenus hic degit, & quosdam docet sermonem Italicum, sed num hinc confidere queat, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria vehementer ambigo. Conditionem namque nondum invenit, neque forsan quoque eam quam studiis medicis promovendis vel augurabatur vel optabat saltem. Cui meas nuper traditurus eram, Saure nomine, iter distulit initio, post me insalutato discessit, sed ego Brofilio honesto juveni commiseram omnia, qui etiam fidem præstitit omnia ad Te ferens, cui ulterior cura nonnullorum deinceps incubuit, non gravis tamen, quia amici pro amico, ad similia paratissimo. Commentationes meæ in Rom. 3 v 23. seqq. si non displeaseant Tibi, est cur mihi placeant magis, In iis quod ad rei summam cum Patruo Tuo sentiunt, tantum abest ut Virum Optimum inter hæreticos censeant. Attamen *λογομαχίαν* dico quæ circa *ἀρετήν* disputantur, quia eam vel latiori sensu accipi arbitror, vel strietiori. Hoc modo ab iis, qui omnibus partibus constantem designant, uti Heb. 9. v. 22. & cap. 10. v. 18. & Patruus Tuus. Illo vero ab aliis, qui duobus prioribus actibus idem nomen tribuunt, ut Matth. 9. v. 2. Luc. 7. v. 48 & qui Patruo Tuo adversantur, Latior acceptio V. T. convenit, strietior

ctior Novo, neque potest vel illa hic, vel  
hæc istic valere. Quinquoad tres illos actus  
qui Remissionem antecedunt, in primo con-  
quiescunt Sociniani; in secundo fideles V.T.  
& de iis ὁ μακαρίτης Coccejus juxta mecum,  
quæ etiam Bezæ sententia fuit; in tertio fi-  
deles N. T. & Theologi Orthodoxi omnes:  
Manet autem latissimum discriminem inter Re-  
missionem Utrique Testamento (de tempore  
loquor) aptandam; quod qui non videt, cœ-  
cutit; qui videre non vult, ad Solem meri-  
dianum oculos clausisse, imo oblevisse vide-  
tur. De Raadt imprudenter nimis, ne quid  
durius dicam, scripsit, magnamque hoc pa-  
cto aliis conciliavit invidiam, quos tamen  
subinde vix clementius habet quam adversa-  
rios. Audivi non ita pridem ipsum Hollan-  
dia excessisse, sicutum Rothe quendam,  
qui se prophetam dicit cœlitus per visionem  
vocatum ad regnum Christi præconiandum,  
& uti suspicio est in Scotiam concessisse,  
Quæ Diestius illi opposuit non aliò spectant,  
quam ut adulando Maresiis per ipsos à Prin-  
cipis αὐλοκοπιοῖς Cathedram obtineat. Aler-  
sius quod commodum, quod docilem se præ-  
beat Collegam, multum Tibi gratulor, at-  
que etiam ipsi quod Te nactus sit. . . . De-  
functus hactenus sum responsione; nunc quæ  
alia succurrunt: Heic vero principem locum  
tenet, quam editam sisto, Kabbala Scriptu-  
raria. Horrescis ad nomen ipsum, & Ma-

C 2

gum

gum me factum stuperes, vel si mollissime me  
 cum agas, Nugatorem. Sed da mihi horum  
 lam antequam pronuncies, & sententiam  
 non metuo. Scripturam ducem sequor,  
 Doctoremque Deum. Hac via inveni nexum  
 promissionum, earumque concentum ac con-  
 sensum, quae alias mihi admodum diversae  
 imo adversae apparebant. Saltem hinc mihi  
 nata plurium dictorum interpretatio, in qui-  
 bus non semper me hallucinatum arbitror.  
 Synodus nostra sub initium Maji Dammonae  
 habita est. Classes pleraque contra me con-  
 spirarant, ejusmodi scriptis gravaminibus,  
 quae me vel indirecte, vel directe pelerent.  
 Sed Deputati Ordinum, qui praesuerere, non  
 passi sunt grassari homines ~~ατόπους~~ pro lube-  
 tu adeo ut pleraque gravamina vel inducta  
 fuerint, vel elusa. Meesius Assessor, cum  
 imperiosius ageret, publicè fuit reprehensus,  
 quod adeo molestè tulit, ut à lachrymis si-  
 bi non temperaret. Attamen quas, pro in-  
 signi dono hypocriteos, quo pollet, gloriae  
 & veritatis zelo tactum se effundere dicebat.  
 Ab eo tempore nec ipse quievit, nec alii con-  
 juratae factionis. Sed Deo mea hactenus cu-  
 ræ fuit innocentia, qui conciliat quandoque  
 amicos, quos non speraram. Opto mihi  
 Collegam ὁμόφυλον & σύμφρον vel saltem mo-  
 deratae indolis, ut tanto quietior mihi sit vi-  
 ta: Sed nondum licet sperare rebus adeo an-  
 gustis. De iis quae in Hollandia fiunt  
 aliunde

aliunde edoceris. Quamobrem finio tandem  
larga salute universis singulisque amicorum  
adscriptâ ex veteri formula: Vale & me quod  
facis ama. Quos olim commendasti Bremen-  
ses ortu aut habitatione rarenter ad me vi-  
sunt, an quod mea opera non indigeant, vel  
eam alibi inveniant promptiorem, aut suo  
palato magis congruentem ignoro. Dab.  
Groningæ d. 16. Junii 1674.


## VIII.

S. P. Reverende & Doctissime Vir,  
Symmysta & Frater in Christo  
amantissime.

**H**aec tenus non data fuit opportunitas re-  
spondendi Tuis, quas Mejerus attulit,  
sed idem nunc affert operam, ut sub suo in-  
volucro meæ ad Te eant. Itaque utor occa-  
sione, ac primum gratulor de depulsa odon-  
talgia, quæ tanto tempore excruciat & ne  
unquam redeat, neve aliis in locum ejus  
morbus succedat, animitus opto. Gratulor  
etiam Optimæ Matri vitam & valetudinem  
prorogatam. - - Pastorum odia durant, ne  
alia quam Theologica credas: quod unum  
nonnulli habent Theologicum. In nupera  
Synodo iterum tentarunt Censuram Dispu-  
tationum mearum, quamvis contradixerint  
Correspondentes Hollandi: atque id ab Or-  
dinibus

dinibus volunt postulare. Quod si im-  
præssint, nullam amplius à me videbis, dum  
hac conditione vixero. Veruntamen sunt  
ex Proceribus, qui hoc se concessuros negant.  
Laborant etiam ut quod Ordines Hollandiæ  
dicantur decrevisse, heic quoque ratum sit  
circa modos scribendi ac loquendi; jactant-  
que Auriaci voluntatem. Quo nomine ali-  
qui non parum offensi sunt. Disputationum  
mearum, quas nuper misi, nemo quod sciām  
illud notavit quod Tu: nec mirum; quia nil  
sapiunt extra suum Maresium, & is non con-  
fixit verū hanc assentionem. Ut verò Tibi  
satisfaciam, id attendere Te velim, Christum  
non nisi semel justificatum esse, neque id af-  
firmari nisi post pœnam Esa. 50. v. 8. 1 Tim.  
3. v. 16. Coll. cum Rom. 1. v. 4. si per actionem  
justificatus fuisset, locus pœnæ non  
manisset. Illi Legi, fac, hoc, & vives, non  
potuit pro aliis satisfacere, quia sic creatu-  
ram exolvisset obedientiæ vinculo, quod fie-  
ri nequit per naturam créaturæ & creatoris.  
Satisfaciendum cuivis etiam nunc, sed ut fiat  
a fidelibus, Christus in ipsis per Spiritum  
operator & velle & perficere. Quod gloriam  
Christus largiatur redemptis suis, id fit ex pa-  
sto cum Patre Joh. 17. v. 2. nec non ex testa-  
mentaria dispositione ipsiusmet, qui de suis  
bonis potuit disponere cujusmodi sunt *jus filio-  
rum Dei* Joh. 1. v. 12. *hæreditas* Heb. 1. v. 2,  
*Apoc.* 21. v. 7. *regnum* Luc. 22. v. 29. *gloria*  
Joh.

Joh. 17. v. 22. 24, Sic utique abunde debitores constituimur Christo: neque nostro merito ullus patet locus. Witzius Leovardiensis olim Pastor Franekeranum ministerium cum Professione conjuxit: sumtique illico crines adscitios & manicas. In doctrina videtur ad exemplum Wayenii secuturus Cl. Patrui Tui methodum, quod ex prima ejus disputatione me observasse puto. Heic loco duorum veteranorum Piccardi & Zaunschliferi introuerunt propemodum adolescentem Widmarii nepotem Velingium, qui primo sub M contra Wittichium disputavit. Is die Pentecostes prima concione gloriatus est, se hic ad magni Gamalielis pedes fuisse eruditum: & hortatus est Magistratum, Ministerium, Auditores ut Novitatibus exterminandis omnem operam adhibeant. Annon hic Angelus Satanæ ad colaphizandum? Sed Deus præsidio erit bonis, etiam quando persecutio subeunda, De Politicis nihil addo. Domestica eodem sunt loco. Christianus meus qui medicinæ dat operam, quia hîc friget istud studium, aliò mihi erit ablegandus, Leidamne an in Angliam ambigo. Gerhardus juri se addixit, Henricus militiam spirare videtur. Charta deficit; Salutem cum gratiarum actione matri, cæteris officia a nobis omnibus defter. Vale. 1. Junii 1675.



98

1. Ich habe eindeutig die seym del  
2. und das ist der Grund warum ich  
3. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
4. kann nicht mehr weiter gehen.  
5. Ich habe eindeutig die seym del  
6. und das ist der Grund warum ich  
7. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
8. kann nicht mehr weiter gehen.  
9. Ich habe eindeutig die seym del  
10. und das ist der Grund warum ich  
11. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
12. kann nicht mehr weiter gehen.  
13. Ich habe eindeutig die seym del  
14. und das ist der Grund warum ich  
15. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
16. kann nicht mehr weiter gehen.  
17. Ich habe eindeutig die seym del  
18. und das ist der Grund warum ich  
19. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
20. kann nicht mehr weiter gehen.  
21. Ich habe eindeutig die seym del  
22. und das ist der Grund warum ich  
23. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
24. kann nicht mehr weiter gehen.  
25. Ich habe eindeutig die seym del  
26. und das ist der Grund warum ich  
27. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
28. kann nicht mehr weiter gehen.  
29. Ich habe eindeutig die seym del  
30. und das ist der Grund warum ich  
31. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
32. kann nicht mehr weiter gehen.  
33. Ich habe eindeutig die seym del  
34. und das ist der Grund warum ich  
35. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
36. kann nicht mehr weiter gehen.  
37. Ich habe eindeutig die seym del  
38. und das ist der Grund warum ich  
39. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
40. kann nicht mehr weiter gehen.  
41. Ich habe eindeutig die seym del  
42. und das ist der Grund warum ich  
43. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
44. kann nicht mehr weiter gehen.  
45. Ich habe eindeutig die seym del  
46. und das ist der Grund warum ich  
47. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
48. kann nicht mehr weiter gehen.  
49. Ich habe eindeutig die seym del  
50. und das ist der Grund warum ich  
51. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
52. kann nicht mehr weiter gehen.  
53. Ich habe eindeutig die seym del  
54. und das ist der Grund warum ich  
55. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
56. kann nicht mehr weiter gehen.  
57. Ich habe eindeutig die seym del  
58. und das ist der Grund warum ich  
59. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
60. kann nicht mehr weiter gehen.  
61. Ich habe eindeutig die seym del  
62. und das ist der Grund warum ich  
63. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
64. kann nicht mehr weiter gehen.  
65. Ich habe eindeutig die seym del  
66. und das ist der Grund warum ich  
67. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
68. kann nicht mehr weiter gehen.  
69. Ich habe eindeutig die seym del  
70. und das ist der Grund warum ich  
71. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
72. kann nicht mehr weiter gehen.  
73. Ich habe eindeutig die seym del  
74. und das ist der Grund warum ich  
75. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
76. kann nicht mehr weiter gehen.  
77. Ich habe eindeutig die seym del  
78. und das ist der Grund warum ich  
79. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
80. kann nicht mehr weiter gehen.  
81. Ich habe eindeutig die seym del  
82. und das ist der Grund warum ich  
83. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
84. kann nicht mehr weiter gehen.  
85. Ich habe eindeutig die seym del  
86. und das ist der Grund warum ich  
87. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
88. kann nicht mehr weiter gehen.  
89. Ich habe eindeutig die seym del  
90. und das ist der Grund warum ich  
91. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
92. kann nicht mehr weiter gehen.  
93. Ich habe eindeutig die seym del  
94. und das ist der Grund warum ich  
95. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
96. kann nicht mehr weiter gehen.  
97. Ich habe eindeutig die seym del  
98. und das ist der Grund warum ich  
99. nicht mehr weiter gehen kann. Ich  
100. kann nicht mehr weiter gehen.

Af 2546

ULB Halle  
006 360 432

3



KDF

m.o.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue

Centimeters

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

SYMBOLÆ  
LITERARIAE  
AD  
INCREMENTUM  
SCIENTIARUM OMNE GENUS  
A  
VARIIS AMICE COLLATÆ  
TOMI PRIMI  
PARS III.



B R E M A E  
Sumptibus GERH. WILH. RUMPII,  
Anno MDCCXLV.